AD

BONARUM ARTIUM PATRONOS,

VIROSQ; DOCTOS,

PROVOCATIO

à

DECRETO ABDICATIONIS THORUNENSI,

M. ERNESTI Königs /

Stargardiâ Pomerani, antehac in Gymnasio Stetinensi Regio Eloqv. Profess. inde Thorunensis Gymnasii ab anno M DCLXVII. Rectoris.

M. FAB. QVINTIL.

Qvid asperiorem habere frontem potest, aut qvid aures hominum magis respuunt, qvàm cum est filio in matrem perorandum? Aliqvando tamen necesse est. XI. Instit. Orat. sub fin.

PALÆO - SEDINI,

Typis Danielis Starckii, Reg. Gymn. Carolini Typographi.

ANNO M. DC. LXXXIII.

AD

BONARUM ARTIUM PATRONOS,

VIROSQ; DOCTOS,

PROVOCATIO

AD

DECRETO ABDICATIONIS

THORUNENSI,

M. ERNESTI [illegible]

stargardia Pomerani, antehac in

Gymnasio Stettinensi Regio Eloqv. Profess. inde Theologiae

nedis Gymnasii ab anno M DCLXVII.

Rectoris

M. FAB. CUNTII.



L. O. S.

SI labores refugerem ærumnosos, qvi me annos exercuerunt amplius viginti, vel indignitates tandem relinqverem, qvibus Scholam conflictari dolui inprimis: causa fortassis haud erat idonea, qvamobrem ea necessitas exoneretur per qvestus publicos. Nunc, statione divinitus mihi assignatâ, illorum operâ dejectus, qvos favere meis excubiis ante alios æqvum piùmq; erat; vereor, ne à sopore atq; ignaviâ, qvàm à verecundiâ propius sit, vim tacere, qvam patior. Præterqvam, qvod durum est, in hoc desinere publici ministerii incorruptam fidem, ut odio qvorundam privato concidam, nihil eqvidem minus à Patronis timere debui, qvam ne THORUNII numerarer post oppidanos omnes. Nemo horum loco tam humili est, qvod sciam, ut nullâ habita ratione defensionis, qvam idoneam attulit, qvam Curia adprobavit, inimicorum ob instantiam, in exilium ejiciatur, aut moveatur tribu. Scholæ ministro prospectum hoc præmio, hoc velut privilegio est, ex qvo in levi habere cœpit simplex parecbasis: Ἐν δ' ἰῇ πμῇ ἢ μὲν κακὸς, ἢ δε κὰι ἐσθλός. Qvod si evitari aut recusari in hoc rei Scholasticæ fastidio neqvit, saltem à me expectari non debet, ut ei adscribam;

Bonum factum : aut amoliri periculum verear , qvod minatur præsumptio ; tantò minor pro damnato, qvantò major est pro magistratu. Qvàm verum est, qvod de se qvondam vir incomparabilis , *Hugo GROTIUS: Plerique* scribit, *adduci non possunt, ut credant, ita qvenqvam tractari, qvi qvæ egit, bonâ fide egerit* ; in *præfat. apologet.* tam alienum meæ fortunæ sapientis monitum , qvi spreta, censet, exolescere ; si irascare agnita videri. Atq; aliud est à Bibaculo aliqvo, vel Sempronio injuriam accipere, aliud sub nomine Senatûs, aut, si mavis, trium Ordinum, ab officio removeri , ac velut, publicatis bonis, in insulam relegari. Tristi experimento didici, qvantum obtrectationis atq; invidiæ nomini meo concitaverit ista decernendi licentia. Nec ægritudinem animo omnem eximere adhuc potuit prudens ille Cunctator apud *Livium*, qvià veritate, dicebat, laborare nimis jus sæpe, extingvi nunqvam : si interea exitium metuendum immerenti. Certè nimis magno mihi staret tacendi facilitas : nec foret tanti. Etiam modestia cum modum excedit, socordiæ atq; inertiæ nomen accipit : & crudelem esse, qvi rectè factorum fiduciâ, honorem & famam negligit, inter præcipua juris prudentiæ axiomata est. Qvo minùs dubium habeo, qvin salvâ justitiâ, ac pietate superioribus debitâ salvâ, meam integritatem adprobem viris bonis, eoq; in publicum prodire patiar de mei oppressione ad *Nobilissimum Senatum* qvestus. Ibunt hoc ipso audentiores securioresq; qvod & ultra annum hos domi continui, reverentiâ Amplisſ. Ordinis, & ruinæ mihi destinatæ remedium aliud non reperi. Enim vero de afflictione hac in foro competente qveri, ac leges invocare ejus fuisse prudentes judicent, qvi nesciret adagium : *Ne Hercules ad versus duos.* Paria sunt, non posse jure agere vel potiri, & non posse agere vel potiri sine

summa

ſumma difficultate. Addo, qvod nec ipſa poteſt cenſeri tuta victoria, ubi malo corrigendo judicialis defenſio haud ſufficit. Qvàm ſalubre ac neceſſarium eſt juris publici tutelam in medio conſtitui, ne qvis ſibi ipſe permittat ultionem; tam inuſitatum Civitatibus privatam auctoritatem in univerſum tolli. Sunt ante oculos exempla graviſſimorum ſanctiſſimorumq; hominum, qvi, editis apologeticis, velut apud judices reſponderunt potentioribus: eadem æqvitate nixi, qvà vir clarus ſcribebat Romano Pontifici: *ſi Tibi licuit indictâ cauſâ ſpoliare nos poſſeſſione noſtrâ juſtâ ac legitimâ, debet & nobis licere conqveri illatam injuriam injuſtamq; ignominiam.* *B. PLATINA, in vita Pauli II.* Nam defenſionem palàm eſt è jure naturali deſcendere, ut ægre tolli à ſummo Principe qveat. Et nemo ſanus tam eſt iniqvus, qvi vitio innocenti vertat, ſi reſiſtat mactare volentibus, non ovis inſtar imbellis jugulum præbeat. Odium merebitur manſvetudo intempeſtiva & ſtolida, qvâ occidi me patiar, ne hoſtem offendam evadendo ictum letalem. In ſtatu ſtare, ne illis qvidem prohibitum erat, qvi ſangvinem & animam alieno ludibrio ſubjecerant vendiderantq;. Et brutis qvoq; armorum uſum permittimus, qvæ vi repellendæ à naturâ providâ his ſuppetunt. Nec verebor, ne privilegium & exemptionem à lege naturæ Oppreſſores mei allegent, aut eò iniqvitatis procedant, ut meam mihi eſſe vilem ſalutem velint. Plura non addo, ut, qvod facio, facere ratione ac jure intelligar. Saltem intelligentes viros piosq; præcipue eos, qvi magiſtratum gerunt officioſè ac ſummiſsè oro, ne invideant defenſioni huic, velut ſiniſtræ aut ancipiti: verum ſemotis affectibus, tantâ cum patientiâ, qvæ ſcribo, legant, qvantâ ego ſinceritate

ritate cavi ne qvâ seu dissimulatione veri, seu falsi admissione, invisa forent. Nec aliam causam potiorem habeo, cur ante plenam apologiam, acta abdicationis publica in lucem edam, qvàm ut *Amplisſ.* pro *Senatu* aut *tribus Ordinibus* præsumptionem præsumptione-validiore elidam, † planùmq; faciam ignaris, haud mihi deesse qverendi fiduciam; ac qvidvis aliud in hac persecutionis relatione me desiderari malle qvam Germanam ingenuitatem & fidem. Et ausim credere, hujus mihi testes ipsos persecutores simpliciores fore: simul agnituros tandem, qvàm graviter haberi injuriam necesse sit, qvæ infertur benè merenti, inde profecta unde sperarem adversus injurias auxilium, portum, sinum ac refugium. Ut minùs mirentur, qvod nunc qvoq; hominis liberi animo scribam, qvi nesciat Scholam cum aulâ confundere, accipere injurias & gratias agere. Si qvi novum hinc crimen fingent, aut viri sibi sapientes videbuntur, si meras ad hæc amarulentias crepent; aliud esse rabulæ in modum insectari, ajo, aliud simpliciter, & pro causæ necessitate, verum dicere

† *Etsi pro judice & magistratu semper militat præsumptio, qvod videlicet rectè & justâ ratione motus, & neutiqvam injuriarum causa, fecerit ea, qvæ fecit: isthæc tamen pro magistratu præsumptio tamdiu duntaxat locum habet, qvamdiu cum causa cognitione & juris ordine servato, ritè & legitime procedit. l.* injuriar. 13. §. 1. D. de injur. l. 2. Cic. offic. Civil. Jud. c. sicut nobis, 16. de sentent. & re judic. c. conqverente 7. de vestit. Spoliat. *Etenim si ex abrupto, parte non citatâ, nec allegationibq auditis, processerit: Validissima & efficacissima contra eum præsumptio, qvod iniqve & injustè atq; adeo INJURIOSÈ istud fecerit.* [Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 9. n. 23. seqq. Petrus Frider. Mindanq de mandat. judic. lib. 2. cap. 13. n. 2. & Menoch. de recuperand. possess. reme. 8. n 8.] *Harpprecht. Tract. Criminal. de injur. ad §. non solum ii Instit. n. 63. seq.*

dicere. & libertatis non minus ac fidei hunc fructum apud bonos non minimum esse, ut, qvantum alios offendit, tantum ab his probetur diligaturq; Nam mihi parergis haud opus est, ut M. Tullii sit fides dicto: *ubi libido dominatur, innocentiæ leve præsidium est.* Multò minùs non necessariarum offensionum sum avidus, aut defensioni honestæ ultionem antehabeo: & si alterutro peccare necesse sit, ferendo potiùs qvàm persequendo injurias modum excesserim. Utinam sibi ipsi sic pepercissent, qvi sub nomine *Senatûs* (toti Patronorum Collegio absit, hoc imputem) jus mihi legitimè qvæsitum tam contumeliosè auferunt; & causas probabiles, qvam ob rem id faciant, nullas habent, nullas excogitant. Id qvod docere videtur seqvens protestatio, cum actis cæteris.

Coram Vobis, Provido Georgio Postolinski, Ministeriali Regni generali, & Nobilibus, Nicolao Sendroski, item Francisco Kaminski, compareo Ego Magister Ernestus König / Gymnasii Thorunensis Rector, inhærendo addendoq; Protestationi, qvam Nobilisſ. & Amplisſimis Regiæ Civitatis Thorunensis Præ-coſs. & coſs. publicum per ministerium exhibui, d. 29. Augusti superioris anni, atq; in acta referendam publica apud judicium Civile Scabinale Kowalevienſe, Sabbatho post Festum S. Egidii, curavi.

Post decretum abdicationis, ad instantiam actorum, Secundi nempe & tertii Ordinis (A) a Nob. Senatu factum in non convictum, qvod D. Præses ter mihi indicaverat nomine publico, placito deinde spectabilium Ordi- A

num

num omnium Civitatis Thorun. ante hoc semestre, ab eodem Amplisſ. Senatu mihi per D. Secretarium denunciato, qvo & Gymnasii Rectoratu abire tunc qvartùm jubebar, & ante instans Festum S. Michaëlis emigrare ædibus publicis: cùm honorem habendum esse D. D. Patronis meis censebam, ut protestatione ad extremum Solenni magis æqvitatis eos commonefacerem, qvàm apud *S. Regiam Majestatem Poloniæ, Regem & Dominum nostrum Clementisſimum*, de remotione qvererer immeritâ illegitimaq; Nec improbè speraveram, futurum, ut & ipsi agnoscerent, qvanto cum præjudicio suo res conjuncta esset, si in sententiâ perstarent, & majore me in posterum constantioreq; favore complecterentur, si suomet judicio à mei persecutione destitisſent. Verùm id mihi promittere, qvàm impetrare faciliùs potui.

Qvàm enim molestè ferret pars major, seu mihi infensior, qvod protestationem per ministerialem Regni retulisſem in acta publica, documentis expertus ex illo tempore tum pluribus, tum majoribus, sum qvàm vellem. Vix contradictionis illa formula Curiæ innotuerat in pleno consessu, cùm D. Præses, misso ad me Scribâ, album juventutis Scholasticæ, qvam matriculam vulgò vocant, sibi mitti præciperet, & hoc denegato modestè, eadem die, qvæ erat triceſima Augusti, jussu Amplisſ. Senatûs subsellia clauderentur docentium in Templo Superiorum. Primâ Septembr. cùm funus significâssem ad fores Gymnasii, missi à D. Burggravio Regio, eodemq; Scholarcha primario, itemq; à D. Præside famuli schedulam à foribus amoverunt & discerpserunt: missus qvoq; D. Secretarius, qvi funeris deductione, nomine Amplisſ. Senatûs, mihi interdiceret. Nec satis: laceror immiti pro-

gramma-

grammate ad valvas monasterii, ædi B. Virginis Deiparæ contigui, qvô iniqvè decretam abdicationem iniqviùs denunciat A. Senatus publicè, lingvâ vulgari, meq; à docentibus & discentibus agnosci ultrà Gymnasii Rectorem vetat, in hunc modum:

Nos Præ-Cos. & Cos. Regiæ hujus Civitatis Thorunensis qvibuslibet, qvorum interest, inprimis verò constitutis in hoc Gymnasio docentibus, ut & Classium superiorum inferiorumq; discentibus, notum hisce facimus; ubi, cum honoratis Ordinibus hujus urbis consilia conferimus, atq; id nobis propositum habemus, ut inclytum hoc Gymnasium, ordinatione tempori huic consentaneâ, bono juventutis studiosæ, secundum normam illam, ad qvam qvalibet benè constitutâ in Republ. amplificatur Dei gloria, juxtaq; Politiæ commoda promoventur, ad statum illum, in qvo superioribus fuit temporibus, reducatur: à parte D.M.Ernesti Königs/hactenus Gymnasii Rectoris, ejusmodi reductioni dictæ, ut & Evangelicæ mansvetudini, contraria, atq; Civitatis adeò tranqvillitatem & pacem turbantia facta (Thätlichkeiten) res ac circumstantias adparuisse, & deprehensa esse, qvæ spectabiles Ordines omnes adeo prægnantia urgentiaq; judicarunt, ut Unanimiter apud se constituerint, eundem D. M. Ernestum König à Rectoratu dimittere liberumq; pronunciare. Sicut qvidem nos potestate magistratus, qvem gerimus, istam abeundi licentiam ac dimissionem modo illi competente aliqvoties, & novissimè qvidem hac ratione denunciari curavimus, ne post illam denunciationem pro Rectore ultrà se gereret, sed ut à lectionibus abstineret, & functiones adeò omnes omitteret, qvæ cum Rectoratu conjunctæ sunt. Qvoniam verò memoratus D. M. Ernestus König/

privatâ qvadam juris interpretatione, hanc noſtram dimiſſionem vocare in dubium haud veretur, & nullâ ejusdem noſtræq; voluntatis ratione habitâ, munia Rectoratus pro lubitu obire non deſinit: Nos illud per præſentes literas in qvorumlibet notitiam deducere, & nominatim reſpectivè D. D. Docentibus, itemq; diſcentibus denunciare voluimus, ſimul utrisq; præcipientes, ne Dn. M. Erneſtum König pro Rectore Gymnaſii ultrà agnoſcant, nec iſto officii nomine honorent; multò minùs ullis in rebus, qvæ functionem Rectoris concernunt, ſolitos antehac & debitos honores obſeqviaq; illi exhibeant: ſiqvidem factâ à denunciatione non recedetur, & nos jam curas noſtras eò convertimus, & pôrrò convertere non omittemus, ne qvid detrimenti ludus noſter literarius patiatur. Id qvod obſervari ab illis volumus. Actum datumq; in noſtro Senatus conſeſſu XXIX. Auguſti Anno MDC LXXXI.

Hæc meritorum meorum inſignia conſpecta haud procul à foro ſunt, die ſecundâ 7br. qvâ horâ ad preces in templo ſolemnes conveniebat pius cœtus. Paucis dehinc interjectis diebus, decimâ 7br. iterumq; decimâ octavâ claves Bibliothecæ Gymnaſii mittere in Curiam jubeor: qvas haud minùs qvàm matriculam denegare poſcentibns neceſſe habui & retinere. Deniq; Ampliſſ. Senatus plus juris transferre in alium non dubitans qvàm ipſe habet, Succeſſorem in Rectoratu accerſit, priusqvam vacat, meq; domo excedere Scholaſticâ per diras comminationes tandem heri compellit, & commiſsâ mihi à Deo cuſtodiâ penitus dejicit. Id qvomodo congruat cum æqvitatis interdicto, qvod non ſinit, unde jura naſcuntur, inde injuriarum ut naſcatur occaſio, poſt Ampl. Senatum

bonis omnibus æstimandum relinqvo. Si possessio officii publici foret dubia, ac vitio aliqvo non manifesto laboraret, me adversus turbantes Prætor juberet defendi interdicto UTI POSSIDETIS, donec de vitio possessionis liqveret. Nunc qvo nomine mereatur controverti, aut cujus vitii possit argui, ut ad extremum pergatur turbationis gradum, sibi non adparere viri sanè fatentur me prudentiores. Neq; erit, qvi neget, hoc qvodcunq; muneris, qvo juventutem Scholasticam rexi, artiumq; optimarum præceptis fovi, nullo meo ambitu me adeptum esse, contractu Divino & humano jure sancto, qvem abhinc qvindecim annis, re benè deliberatâ, Amplisſ. Senatus mecum inivit, tunc temporis Gymnasii Regii Professore, (*B*) per literas Vocationis Stetini Pomeranorum à me acceptas. Ex illo tempore partes mihi demandatas eâ obii per DEI gratiam fide industriâq;, ut nunqvam culpæ alicujus, negligentiæ aut erroris, admonitus palàm aut secreto sim, multò minùs reprehensionem D. D. superiorum Senatûs aut Scholarcharum justam incurrerim. Qvod verò causſæ bonæ argumentum palmarium est, ne durante qvidem persecutione hac, ullius labis in officio per rerum testimonia sum convictus; de cætero vitæ innocentiam, æqvitatem & modestiam vel hostibus adprobavi. Tantumq; abfuit, legitimam cognitionem eamq; severam & rigidam ut paveſcerem, aut meæ rationes functionis vitæq; reddere æqvis judicibus recusarem, ut non DD. Patronos solum integritatem meam docerem apologetico gemino, sed etiam re adhuc integrâ, cum nondum factum amotionis decretum esset, aut verius nondum mihi illius in mentem veniſſet, coram actoribus ipsis, hoc est, secundo & tertio Ordinibus, tanqvam judices forent, causam dice-

B

 re, si

re, si mihi copiam congressûs facerent, me paratum esse per D. Confessionarium meum mense Aprili significarem. Qvi tamen, spretâ submissione meâ, serò huc decurri causati sunt, veriti, ne, si audissent, condemnare non possent, an adacturi me ad preces serviles, velut ærumnosi evictum officii blandimentis, certum non habeo. Cùm verò XXIV. Julii, mense â denunciatâ mihi remotione tertio, partem literarum tertii Ordinis ad Senatum D. Præses mihi obiter recitaret, qvêis decreti executionem idem ordo urgebat, argumento sumpto à detrimentis Gymnasii, qvæ mihi imputabat verborenus, & incrementis Scholæ Jesuitarum; ne tunc qvidem innocentiæ meæ deeram, qvam sex & triginta vindicabam argumentis scripto utriq; ordini in manus per ipsum tradito, ex qvo eluceret, dominorum Curam auxiliùmq; per integrum octennium Scholæ defuisse. Cæterùm qvàm mihi indebita abdicationis poena juxta & illegalis foret, inde à VI. Maji, qva die primum mihi denunciabatur in ædibus D. Præsidis, Andreæ Baumgarten, professus sum sæpius,
C (C) atq; argumenta qvestûs mei plusqvam viginti signavi
D in protestatione superiori. (D) Professus qvoq; ipse Ampliss. Magistratus per programma est, qvod modò retuli ad verbum translatum. Enim vero, qvi merita abdicationis, ut mihi indicaret, meq; super his audiret, exorari non potuit, officii autem benè gesti ac vitæ inculpatæ testimonium se daturum mihi, vicesimâ qvarta Julii anni superioris, ultrò pollicitus est voce D. Præsidis, si dimissionem à Rectoratu petendo decreti executionem, anteverterem; ad postremum ab instantiâ Ordinum antè *actorum*, nunc *Judicum* qvoq;, ad objectionem triplicem conversus, me temerâsse leges mansvetudinis Evangelicæ,

me ad

me adversatum fuisse restaurationi Gymnasii, me tranqvillitatem ac pacem turbâsse oppidanam, jactat in publicum, crimina & probra ejusmodi, qvæ bonâ fide asseverare possum, me non capere, id est, qvid propriè denotent, vel specificè, in foro ut loqvuntur, arguant, cogitando haud assequi. Ita se ipsa, opinor, prodit decreti iniqvitas, cui velandæ postulatio vulgatur vaga & illimitata; cautelâ qvàm vulgo obviâ, tam legibus odiosâ & vetita, qvæ rem DESIGNARE jubent, & CERTUM SPECIALITER DICERE, non vagari permittunt, cum discrimine alienæ existimationis, ut ait ULPIANUS. Nec verò ultrà profectum isto consilio fuit, qvam ut non nihil persvaderetur credulitati rudis plebeculæ, cum prudentiores hoc magis qværere necesse esset: qvid crimini darent Amplisſ. Senatus et Ordines huic homini? qvod nominatim delictum? qvæ superiorum offensio? Contumacia an error? verba an facta arguerentur? Doctisſimi item LL. Interpretes super actis consulti nullum crimen reperiri in me responderent, qvod dignum remotione foret. Qvæ cum ipsorum etiam judicum fuerit necessaria confessio, qvâ die, bonâ se conscientia negabant mihi aufferre posse Rectoratûs munia, ob qvestus Ordinum; non poterat non videri justum piumq; suum Judicium ut servarent, haud qvatuordecim ex capitibus actorum ineptis Duo in speciem idonea & grandia elicerent, interpolatione pernicioſa, sive, ut molliùs dicam, consequentiâ erroneâ. Cujus infallibilis index ipsa Criminationum secundi & tertii Ordinis inspectio, sic habentium ad verbum: I. Qvod D. Rector multorum non solum privatorum civium, sed publicos qvoq; honores gerentium liberos magno numero per asperitatem è Scholâ expellit, qvi propterea partim Scholæ Jesuitarum in urbe

urbe hac nomen dare, partim extra Prusſiam qværere coguntur Scholas. II. Ab advenis adolescentibus, ut & Gymnaſio valedicentibus, contra conſcientiam, nummos benè multos accipit. III. Diſcentium qvandam disparitatem introducit, dum, qvi certam ei pecuniam ſolvunt, à funerum deductionibus eximit ; qvod apud prædeceſſores in Rectoratu ne ſummorum qvidem virorum liberis indultum fuit. IV. Non ita pridem die feſtâ, qvæ inter præcipuas, interdixit choro recordantium, qvem vocant exercitio muſico in templo novi oppidi. V. Contra diſpoſitionem LL. Scholaſticarum, Claſſium inferiorum pueris privatæ copiam informationis facit. VI. Cogere cives conatur, ut ſupra facultates ſuas pædagogos alant, haud permittens, ut pædagogus unius plurium liberos Civium inſtituat. VII. Præceptores Claſſiũ idoneos, per qvos imprimis conſulitur ætati teneræ, loco movet. VIII. Studioſos adoleſcentes cogit, ut qvamvis inviti informatione ſuâ privatim utantur, didactro immodico. IX. Ædificium Gymnaſii, dum pro commoditate extructi Theatri trabes nonnullas ſummovet, ruinæ periculo exponit. X. Modò in privatorum, modò in honoratiorum Virorum filios carcere aut ferulâ animadvertit per iracundiam immodicè, nullis obſervatis diſciplinæ Scholaſticæ gradibus. XI. Advenas, qveis ſcopus præcipuus Lingvæ Polonicæ ſtudium eſt, lectiones cogit publicas audire promiſcuè, nec minus privatim Lingvæ Polonicæſtudio intentos perſeqvitur. XII. Lectionum publicarũ crebris mutationibus, juxtà & prolixitate juventutẽ fruſtra detinet. XIII. Adoleſcentes qvoq; qvatuordecim & qvindecim annorum, qvâ die ad S. Domini menſam accedunt, pro deprecatione uſitatâ juramentum præſtare de facto cogit. XIV. Beneficia Civium ſpernit, qvi, ubi in cir-

circuitu Gregoriano à qvibusdam sex grosſi oblati fuerunt, per receptorem hos reddidit, additis grosſis de ſuo totidem. Enim vero hæc illa criminum magna moles, ad incuſationem mei tracta ſeu rapta à malevolis, ſub nomine duorum Ordinum. Qvibus accesſit cauſa privata civis ex ordine tertio, defenſionem à me adverſus injurias uſurpatam ægrè ferentis. Cæterùm priora XIV. nullis inſtrumentis, nullis teſtibus, argumentis nullis edocta, nec unqvam edocenda, falſa, prout referuntur, ad unum omnia; in qvantum autem aliqvid veri nonnulla admixtum habent, frigida ac futilia eſſe, ad oculum demonſtravi. Poſtremum per rationes legales ſic defendi, ut abundè adpareret, qvàm ſeu non injuſtum foret, qvod per Programma ad fores Gymnaſii qveſtus eſſem de injuriis, ſeu non imputari mihi deberet, ſi ſæpius malè habitus, nec publicè defenſus, ad ultimum delapſus ad impatientiam fuiſſem. Nemo Dialecticus, nemo JCtus iſtis ex thematibus conficiat, qvod adverſatus fuerim reſtaurationi Gymnaſii ac pacem turbaverim oppidanam. (Tertium qvô discesſisſe à manſvetudine Evangelicâ arguor, propè eſt inane. E) Neq; Ampliſſ. ſenatui illius conſeqventiæ tunc in mentem venit, qvi rem indignam ratus, ut vanitati accuſationis ſuccumberem, per declarationem definitivam actoribus reſpondebat XV. Januarii anni ſuperioris, haud ſe reperire, ea peccata mea, qvæ ulciſci amotionis ab officio pœnâ, conſcientia illæſa, poſſet. Si vero triplex poſtulatio, qvam Programma vulgat, alia ab his eſt inſimulationibus, qvas modò enumeravi; ſi poſt qvatuordecim ordinum gravamina, itemq; cauſam privatam, qvam dixi, denuo incuſatus ab adverſariis fui ſecretis criminationibus, iisq; nec levibus, nec à vero abhorrentibus, cauſæ fortaſſe

ε

tasse nihil dicet Amplisſ. Senatus, qvin immitiùs me tractaverit, qvam tribulium posset in hac urbe infimum, qvi nullâ utilitate publicâ, multò minùs necesſitate, inevitabili illa & manifesta, qvæ reqvirebatur, (nam contributionis ſubſidium à multis annis expetitum & non impetratum à Communitate oppidanâ, qvod meo exitio putabatur redimendum esse, ne obolo qvidem ſubvenit inopiæ ærarii in hunc diem, nondum certo, qvando id emersurum, ut sic dixerim, è potentiâ in actum sit) exilii pœnam decerneret, in non citatum, non auditum, non compoſitum cum actoribus vel delatoribus, multò minus convictum ullius veri nominis delicti, nedum remotione digni: plus dicam; neqvidem notitiam offenſionis probabilis copiamq; diluendi reqvirenti enixè indulgeret, decretum inſuper iniqvum iniqvo modo in vulgus ederet, & ſucceſſorem in officio nondum vacante advocaret, ad ultimum deniq; me excedere monaſterio de facto compelleret. Eqvidem mihi teſtis est DEUS omniſcius, ſciens volens qvod nihil prorſus admiſerim, qvod vel leviſſimo ære mulctandum, ne dicam, dignum depoſitione ab officio erat: qvam illorum esse pœnam jure proditum est, qvi graviter in officio deliqverunt, ut nullam prorſus excuſationem aut veniam mereantur. Neq; propterea, credo, horum in claſſe collocabor, qvod in id ſedulo incubui, ut, qvantum in me foret, Scholam florentem hæc civitas retineret: ideo LL. ante omnia Scholaſticarum auctoritatem moderate vindicavi, citra adulationem; deinde injurias officio meo ab incolis ſæpius illatas ad animum revocavi, harumq; auctores pro renata oſtendi ab æqvitate & humanitate diſcedere; deniq; nihil proficientibus ſummiſſis meis pro tuenda Scholæ incolu-

columitate precibus,& tantùm non lacrymis, causam ejus simplius fortasse, qvàm vellent, apud DD. superiores coram & per literas egi, inde ab anno 1672. *Nam, si merito detestabile est id genus hominum, qvi talentum qvod DEUS concessit, ignavia atq; negligentiâ perdunt, vocationem deserunt, studiosæ juventuti, cum Ecclesiæ atq; Reip. cujus utriusq; seminarium ipsis concreditum est, magno detrimento, desunt, sub honoris titulo & privilegiorum svavitate, nihil aliud qvam ignavi pecoris instar, impingvari amant;* Qvod scribit gravissimus Politicus & JCtus: nec istud meo judicio videri leve potuisset meum peccatum, si indulgendo si connivendo, si tacendo, non minus feciissem deteriorem conditionem rei Scholasticæ, contemptor legis, qvâ providere modis omnibus jubeor, ne qvid detrimenti capiat Schola. Ergo, qvò magis post primum Rectoratûs mei qvinqvennium, per docentium paucitatem diuturnam aliaq; Scholæ â me exposita publice incommoda, frigere studia in hoc Gymnasio deprehensa sunt, hoc certiùs comprobare omni ope nisus sum, qvod salutari adolescentiæ educatione nihil mihi foret prius aut antiqvius, qvodq; si duorum alterutrum evitare non possem, cum usu mallem offendere, qvàm cum damno rei Scholasticæ demereri. Jam, si errore qvodam meo inscius provocâsse DD. Patronorum indignationem credor, bono animo me errâsse, evicissem procul dubio, si conscium erroris, me ut par erat, feciissent. Atq; ut præteream, qvod, post tot exantlatos pro re Scholasticâ labores non inutiles, gratis poterat dilui culpa non magna nullus profectò dubito, qvin bonus qvilibet in Divini PLATONIS sententiam libens eat, qvi errantis, ait, pœnam esse doceri. Verum sicut dixi, eò res rediit officii & ordinis mei vilipendio, & qvod remotioni decernendæ brevius iter creditur ab

executione inchoando processum, ut ne scire qvidem remotionis causas me voluerint DD. Superiores, nedum cætera observarent, qvæ pro reis jura hominum communia sanciunt, iniqvitate manifestâ. Qvippe apertissimi juris est, qvod magistratus, qvi DEI nomine & loco exercet judicium, 2. Paralip. XIX. 6. de FACTO pariter & de JURE debeat certus esse, anteqvam pronunciet; ideo nec secretum cognitioni circumdare, nec litem sic contrahere, qvin probationes necessariæ & defensiones legitimæ admittantur; etiam ubi simpliciter & de plano, ac sine strepitu & figura judicii, proceditur: qvæ ipsa verba sunt *Pontificis; de verbo signif.* sæpè contingit in Clement. & non tantum rogante parte, sed etiam ex officio defensioni prospicere. Ac licet vel maximè citra jurisdictionis viam, vi potestatis gubernativæ, sive à Senatu solo, sive à Senatu cum Scabinis & LX viris, procedi adversus me in hac causa potuisset; qvod cum ævi hujus Papiniano CARPZOVIO Jurisprudentum Schola negat omnis: jure tamen divino ac mentibus hominum per naturam insito, reqviritur, ut exemplo illius divitis, qvi ad calculos œconomum suum vocat in historia Evangelica, rationem reddere officialem de actis magistratus jubeat, ac spatium, qvod satis sit, responsioni indulgeat, eam æqvo animo audiat, & causæ adeo merita accuratè examinet, neqvaqvam illum ministerio exuat ante causæ cognitionem debitam, unicam noscendi verum rationem probabilem: qvod nihil aliud est, qvàm insultare imbecillitati innocentium, defensionemq; adimere, qvæ ægrè tolli à summo Principe potest, & vel sceleratissimo relinqvenda est. Addo, qvod nemo destituendus sua possessione ad tempus est per seqvestrationem judicis, in causâ necessitatis summæ & inevi-

inevitabilis, nisi prius fiat citatio partis & causæ cognitio ad minimum summaria; qvæ tamen omnes circumstantias causæ circumspectè inqvirat & consideret, sicut scribit summus JCtus; propterea qvod magni momenti ea res est, per qvam qvis possessionis suæ usu & commodis carere saltem ad tempus debet. Qvo minus fieri salvâ humanitate & pietate salvâ potest, ut sua officiali possessio, officium publicum, indefenso & amissionis meriti non convicto, in perpetuum de facto aufferatur. Adeo si vel nunqvam hic loci receptum jus in Ecclesiis protestantium obvium usitatumq; est, qvod vetat sine causæ cognitione judiciali, vetat extra casum atrocis criminis, citra gradus admonitionum, Ecclesiæ & Scholæ ministros ab officio depelli; vel, si sub clausulis magistratûs tacitis [nam expressas ignorant vocationis meæ tabulæ] *qvoad videbitur; qvoad non offenderit superiores*, officia Clericis confert: fas & jura haud sanè sinunt, ut non convictus culpæ latæ ac doli in officio, nedum inauditus, & omnino nescius damnationis meriti, loco moveatur, libidine plusqvam despoticâ! *si scriptum sit, si tibi videbitur; ita hoc accipiendum, si Tibi qvasi* Viro bono *videbitur. Si Te non offenderit, subintellige, qvasi* Virum bonum; *inqvit ULPIANUS, lib. fidei commiss. libertas 46. D. de fidei com. libert. Et PAULUS, si in lege locationis, scribit, comprehensum sit, ut arbitratu Domini opus adprobetur, perinde habetur, ac si viri boni arbitrium comprehensum fuisset: nam fides bona exigit, ut Arbitrium tale præstetur, qvale* viro bono *convenit. l. 24. D. Locati cond. Id qvod summi etiam* orbis Monarchæ sibi dictum existimant, sicut de Gallorum Regibus *Petrus ÆRODIUS: Nostri Principes, scribit, officia omnia cum ea clausulâ conferunt*, qvoad videbitur: *Nunqvam tamen ea auferunt, nisi*

ex maleficio. *Nihil enim populo, nihil principi placere dictmus, nisi qvod æqvum bonumq; sit.* Num Vocationem successoris inusitatam ad id valere Amplisſ. Senatus existimet, ut locum huic cedam, haud qvidem scio. Illud tamen pro certo habere Amplisſ. Magistratum mihi persvadeo, qvod immota communis gentium Jurisprudentiæ hæc dictata ac velut oracula sint: Tradere eum non posse, qvi se contrahendo obligare non potest. Id qvod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non debere. Ne *Papam* qvidem & *Cæsarem* posse jus alteri qvæsitum aufferre, in alium ut transferat; citra necessitatem Reip. insuperabilem. Et tamen sine dispendio tunc faciendum, qvantum fieri potest, privati; adeo ut Princeps auferens rem privati ex causa publicæ necessitatis, teneatur ad solutionem justi pretii. Pariter nec dominii effectus, per qvem res vendi à domino, donari, permutari potest, eò porrigitur, ut qvi rem suam locatam alteri vendidit, ideo jus resignationis habeat, durante tempore, qvod locationis contractu comprehensum est. Tenetur actione ex conducto, ideo & per exceptionem servare legem conductionis. Et nemo DD. Judicum, opinor, domino, emptori aut judici velit cedere, si talia contra ipsum tententur; qvin imò ab iniqvo turbatore vel vi opposita possessionem defendat suam: sicut omni jure concessum est. Faciunt præsidia causæ meæ tam valida, ut parum fortasse momenti sit in ista qvorundam maximâ: *his, qvi officia libere contulerunt, qveis & qvando volunt, eadem aufferre officialibus*, cum visum est, integrum esse. Qvippe negari non potest, qvin hominũ illorum sit, qvibꝰ nihil injustius, & qvi intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Qvi si aùdirent, sub hac conditione cives recipi qvibusdam in urbibꝰ & oppidis, ut hos expellendi,

lendi, cum lubitum foret, potestas penes terrarum dominum vel magistratum oppidanum esset; aut mancipiis relinqvendas ejusmodi civitates, aut pro cœtibus honestorum hominum & vitæ humanæ commodis studentium, ab inertissimorum mortalium colluvie habitandas esse, procul dubio judicarent, ne vilissimo qvidem opifici expetendas; qvod jam olim judicium erat B. LUTHERI nostri, *in literis ad Celsissimum Principem*. Ego ut planè mihi persvasum habeo, nullos nisi naturâ servos, aut qvibus nulla studiorum liberalium fiducia est, operam locaturos Communitatibus esse, à qvibus, sciant, sine justâ ac probabili causâ abire bene merentes ab officio libidinosè juberi inauditos ac indefensos: sic statûs illam regulam imperitorum arrogantiæ relinqvo, securè aspernantium, qvod in senatu qvondam gravissimo dicebatur: *sublatis studiorum pretiis, etiam studia peritura*. Inficiari enim dicti veritatem vix possunt, qvibus qvovis Oraculo habetur verius, qvod sublata spe qvæstûs, langveat mercatura. Cæterùm errori, utar molli vocabulo, jus oppono *qvæsitum*, qvod ministri Ecclesiæ & Scholæ in publicis habent officiis, oppono obligationem firmissimam sanctissimâmq; qvæ fundata est in fide publicâ, lege Divina & humanâ, generali Ecclesiarum Evangelicarum consvetudine ac observantia, auctoritate magistratûs & Reipubl. honore artium liberalium, ac his similibus, nunqvam violatis magistratibus & communitatibus, nunqvam violandis sine detrimento & præjudicio insigni. Cujus certè obligationis tanta vis est, ut ne morbus qvidem incurabilis qvi officium exerceri non sinit, abdicationem ministri Ecclesiæ aut Scholæ legitimet. Namq; talem nec posse ad cessionem compelli, nec debere ul-

lo modo, nec afflicto esse adflictionem addendam, totidem verbis rescribit INNOCENTIUS Papa, additq; rationem, eò qvod vir bonus extitit, & Ecclesiam sibi commissam salubriter gubernavit. *C. Ex parte de Cleric. ægrot.* Addo, qvod uni remotionis pœnæ, qvantum ad viros literatos attinet, mala insunt tantùm non omnia; tunc inprimis, ubi corpus laboribus fractum, marsupium vacuum, amici aut nulli sunt vel invalidi, aut alienæ calamitatis incuriosi. Ut dubius hæream, an extra sceleris casum atrocioris, in virum egentem, at virtuti operantem, gravius animadverti à magistratu Christiano qvàm remotione ab officio possit; qvi sciam, paganis Imperatoribus ob crimen læsæ Majestatis satis pœnæ visum, si reis imperarent venas exsolvere, facillimâ mortis viâ; atq; è tribuno militum, qvi Principem Romanum parricidam matris & uxoris, aurigam & histrionem & incendiarium coràm & in os dixerat, non aliam pœnam sumptam, qvam ut tribuno alii caput ipsi amputare imperaretur. Qvi gravius, meo judicio, supplicium subiissent, si fortunis omnibus eversi vitam retinuissent cum exilio, & qvovis exilio acerbiore Paupertate; qvæ viva, ut sic dixerim mors est; nisi fallit illud antiqvissimi Poëtarum HESIODI, qvo rem familiarem esse animam, ait, miseris mortalibus. Qvô fit, ut nec hominum privatim mihi inimicorum pertinax odium ad id valere boni omnes intelligant, ut, nullo meo in officio crimine, provinciam amittam. Præterqvam enim, qvod neminem esse in Amplissimo Senatûs Collegio arbitror, qvin Simillimus esse velit gubernatoris apud VIRGILIUM, qvem versibus ornat pulcherrimis:

Ille velut pelagi rupes immota resistit:
Ut pelagi rupes magno veniente fragore,

Qvæ

Quæ sese, multis circumlatrantibus undis,
Mole tenet: Scopuli neqvicqvam & spuma circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga:

Jure me expectare Amplis. à Senatu potuisse videor, ut semel pro meo honore faceret, qvod ego pro incolumitate Gymnasii feci semper, ac sanctæ adeò memor Obligationis, qvæ in LL. Scholasticarum legitur tabulis, munita Sigillo Civitatis publico, à qvorumlibet impetitionibus, ut verba habent, me defenderet. Tantùm abfuit, ut timere debuerim, ne ipse me affligeret, ad postulatum impetentium, & qvem juventâ florentem, bonæ spei plenum & cœlibem, è patria evocatum, erudito ministerio adscivit olim, nunc, versis rebus, per pulverem Scholasticum â se ipso mutatum qvodammodo, & maritum & patrem, per vim ejiceret, officio, honoribus, vitæ honestæ sustentandæ mediis, ac bonâ deniq; apud ignotos opinione, exueret, ad instantiam malevolorum, hoc est, duorum & viginti annorum functioni professoriæ imponeret fœdum diem. Verùm hæc videt DOMINUS, videt ille, qvi Paulo dicebat olim: Saule, Saule, qvid me perseqveris; Et bene est, qvod integritati meæ testimonium perhibent viri pii & cordati, *(F)* qvod sine amore, sine odio, qvorum causas utiq; procul habent, ex actis publicis statuunt Collegialiter, *(G)* haud abrogare Amplis. Senatum officium mihi publicum, ob causas neq; probatas neq; jure subnixas, gradibus præsertim nullis admonitionum præmissis, debuisse; debuisse me in officio tueri adversus incompetentes Secundi & Tertii Ordinis actores; & nunc debere iniqvum remotionis decretum tollere, meq; pristinæ conditioni per omnia restituere.

F

G

Qvo

Qvò minùs vereor, ne verecundiam meam & pietatem erga ſuperiores deſiderent æqvi arbitri, qvod injuriam mihi fieri, tum per actus, qvos commemoravi plures, æqvitati & pietati contrarios, tum per expulſionem ex ædibus publicis, conjunctam cum denegatione Salarii plus qvam Semeſtris, qvod per rationes legales evidentiſſimas docui, omni jure mihi competere, (ex qvo Summæ à multis annis officii nomine publicè mihi debitæ juxtâq; liqvidæ ſolutionem, qvam fieri ante denunciationem abdicationis per programma, æqviſſimum erat, menſem me expectare octavum paſſi ſunt debitores, eòq; capeſſere proviñciam ſimul novam, qvæ offerebatur extra Pruſſiam, prohibuerunt, jure retentionis utentem in habitatione Scholaſticâ, tanqvam debiti omnium juſtiſſimi conſeqvendi neceſſario medio, ac fortaſſe unico) per hoc ſcriptum profiteor atq; de his adverſus ſæpius, reverentiâ, qvâ par eſt, nominatum Regiæ hujus urbis Nobiliſſimum Senatum qvam ſolenniſſimè proteſtor, ſicut & de illis omnibus,
H qvæ inde ſeqventur *(H)* in præjudicium meum, qvocunq; modo, nunc prout tunc, & vice verſâ. Qvod ſuper eſt, Te Providum Miniſterialem Regni, Georgium Poſtolinski, Vosq; Nobiles, Nicolaum Sendroski, & Franciſcum Kaminski, humaniter rogo, ut Proteſtationem hanc ad nobiliſſimum urbis hujus Senatum, vigore officii, qvod geritis, publici, perferatis, juxtaq; loci inſtituta ad acta referendam curetis. Mihi verò reſervo facultatem huic proteſtationi addendi & qvicqvid præterea neceſſarium fuerit, faciendi ſecundum jura. Thorunii die nonâ Maji Anno Milleſimo, ſexcenteſimo, octogeſimo ſecundo. M. Erneſtus KÖNIG, Thorunenſ. Gymnaſii Rector.

PERSECUTIONIS OCCASIO ET PROGRESSUS.

MAgnam in offensionem Viri Præ-Consularis incurreram, præter opinionem, qvod filio ejus, qvi spretâ comminatione publicâ, si qvis neglectis in templo anagnostæ partibus, qvestibus porrò locum faceret, bis una hebdomade, cum ordo eum admonuisset, officio suo sciens volens defuerat, custodiæ pœnam dictaveram modicam, at pari contumaciâ ab ipso elusam. Hoc seu animadversionem in filium indebitam, seu vilipendium sui magistratûs interpretans Nobilisſ. Præconsul, ultionem an qvæsiverit, haud temerè affirmaverim: qvippe vir aperti pectoris, neq; in vindictam durans, meo judicio. Saltem filium ex eo tempore Scholam haud intrâsse satis constat, qvamvis scholasticæ custodiæ securum, postqvam pœnam ab illo sumptam leviorem iri, non dissimulaveram D. Proto-Scholarchæ. Factumq; paulò post, ut pædagogum qvendam, cujo ingratitudinem adversus hospitem, & fraudem legibus Scholæ factam, exemplo deterrimo, in tantâ hospitiorum Liberalium inopiâ, è cœtu, qvem recordantium vocant, exclusione jure merito, ex earundem LL. præscripto, multaveram, restituere illi ostiatim canentium choro à DD. Superioribus adigerer, posthabitis rationibus, qvas complures, legitimando isti pœnæ generi, ex LL. Scholæ disertis, D. Proto-Scholarchæ indicaveram. Utrumq; effeci, patiendo ut fieret leve, cui freqventia talium propè in consvetudinem verterat. At tertium, fateor, patientiam meam vicit seu

servitium indebitum rupit, cum qvidam tertii Ordinis civis, (Sempronium vocabimus) occasione sibi utendum ratus, dum Præcoss. iratum haberem, invectus in absentem inimicissimè fuisset. Usserat hominem, qvod, habito Examine Ordinario, filiorum plus nimio rudium, in translocatione, rationem non habuissem. Ideò & criminatione me adortus fuerat, tanqvam magis mihi peregrinorum, qvàm Thorunensis juventutis emolumenta curæ cordiq; forent; & in epulis nuptialibus sponsionem offerre non dubitârat, futurum, ut propediem salarium annuum parte mihi minueretur tertiâ. Sicut & paucis post diebus res docuit, cum, scripto ab Ordine profecto tertio, illa diminutio stipendii mei, eodem argumento, qvo ille usus fuerat, ab Amplisſ. Senatu peteretur extra & præter ordinem. Inde mihi necessitas tam officii, qvam privato nomine imposita, si vel maximè eam sponsionem spernere, ut vanam, aut jacturam tertiæ partis annui salarii pro levi habere in animum induxissem, Sempronium saltem redarguendi, ne latius serperet, cum detrimento functionis meæ, injuria. Verum cum sæpius qvam vellem, comperissem, injurias meas haud æstimatas, ut fas erat, Superioribus, qvestus meos probantibus dicto ceu justissimos, interim me deserentibus perpetuò, factoq; commonefacientibus decantatæ maximæ; qvod non sanat ratio, sanat mora: id unum superesse arbitrabar, ut, qvàm malè haberer à Sempronio, per calamum significarem ad fores interiores Gymnasii, simulq; licentiam ac arrogantiam hominis increparem. Qvippe haud nescius eram: necessitatem legem non habere, exceptam ab omni lege: ubi ordinario remedio haud locus, ad extra ordinarium rectè decurri: &, si judex sui

copiam

copiam non faciat, propria auctoritate illatam injuriam vindicare nihil prohibere. : nec conqveri de actu posse, qvi causam dedit, vel non fecit, qvæ facere incubuit. Neq; dubitabam, fore, ut homines è media Communitate, qvibus aliqva honesti cura, defensionem mei susciperent, indignitate rei agnita, aut minus in posterum se paterentur, per technas criminantium seduci. Summa autem qverelæ & apologiæ, ut fuit justissima ac luctui vicinior qvàm vindictæ, hæc erat: qvod homo iste cum fastu subrustico inscitiam prodidisset suam, qvi filios syntaxeos latini sermonis ac elementorum adeò primorum rudissimos iniqvè arceri à Classe secundâ Gymnasii autumaret, ac malè memor divinæ legis, per conflictam criminationem, qvasi studia magis addicta mea discentibus extraneis, qvàm indigenis forent, detractionem tertiæ partis annui stipendii mihi minatus ad mensam nuptialem nuper fuisset. Cujus diminutio, ut æqvitate subniteretur, non magis in illius manu qvàm incolarum minimi foret; tam odiosa utiq; in jure qvàm favorabilis sparta Professoris: qvod ignorâsse indicium foret hominis legum malè periti. Hæc ego de Sempronio, non eo animo, ut homini isti nocerem, qvod meo ingenio alienum, sed ne mihi & Scholæ officerent, qvæ ille in me injuriosè dixisset fecissetq;. Subjeceram apologiæ preces, ne dictis fidem haberent boni, sed ut publico Scholæ bono meæ integritati faverent, ipsumq; Sempronium adducerent, ut in foro competente me reum faceret, si qvid desideraret in functione meâ Scholasticâ, mihi verò aditus patefieret ad defensionem solidam, per qvam occasiones & causas obtrectationum hominibus vanis aut rei Scholasticæ ignaris adimerem, qvantum in me esset. Cæterùm tan-

tum aberat, expositis Sempronii & Sempronianorum machinationibus ut contra ire bonos animadverterem, ut, vix bihorio interjecto, conventus ageretur qvorundam ex tertio ordine, Sempronio an alio extimulante, animosq; adhuc sinceros inficiente suâ ærugine, mihi incertum. Qvanqvam non nescio, fuisse, qvi à decem & amplius annis perniciem meam animo agitaverant, qvod mansvetudinem in me Evangelicam, qvam vocant, erga liberos suos desiderâssent. Ergo postridie IV. Novembr. anni M. DCLXXX. singulari qvodam fervore, perinde ac si Sempronium, Scabinum in suburbio, redarguendo per programma, adversus potestatem Sacrosanctam insurrexissem, ac contra rempublicam & salutem omnium fecissem, plures istius hominis conatibus aggregati, invidiosâ ac modum excedente postulatione â Nobilisſ. Senatu contenderunt, ut, nulla susceptâ causæ cognitione, defensione indultâ nulla, extemplo mihi adimeret spartam publicam, qvasi hac cecidissem ipso jure, aut expiari, nisi remotionis detrimento, defensio contra obtrectatorem non posset. Simul obtuleruut scripto incusationes & qvestus undiq; congestos, multos magis qvam idoneos, creduli magis an invidi, ipsi noverint; certe ardore extraordinario inflammati, tamq; atroces in me coorti, ut diceres: actum esse, meq; periisse. Adeò nulla mihi ex studiis liberalibus, nulla ex longo ministerio gratia apud Sempronianos. Eqvidem non negaverim, sic aliqvando jure vindicari à magistratu injuriam, ut nec accusatione, nec probatione, nec ullo processu judiciario opus esse censeatur. Gail. 1. obs. 39. Verùm hoc tantum ad illas injurias pertinere certum est, qvæ inferuntur magistratui, ut tali, intra officium, qvod gessit publicum; Cujus auctoritatem

auctoritatem sic asseri publicè videtur interesse. Nec aliter locum habet, qvàm ubi extra omnem controversiam est, & illatam omnino magistratui injuriam, & talem eam esse, qvæ non sit impunè dimittenda. Qvæ sicut cessat severitas, cum aut extra officium injuriâ afficitur magistratus, aut minus hæc notoria, incerta & dubia est; ut est, cum reus ad sui defensionem dixit fecitq; qvod â ratione ac æqvitate non abhorret, seq; probaturum ostendit probabiliter, ideo retorsionem allegat, animum injuriandi semet habuisse negat: ita multominus locum habere intelligi debebat, ut pœna etiam posceretur abdicationis extraordinaria, cum minis & procacitati Sempronii insidiosæ admodum defensionem, sicut dictum est, opposuissem. Etiam Nero cum ultionem maledici à Patribus postularet, & nullâ hunc injuriâ provocatum fuisse, & gravissimas in Principem contumelias dixisse, urgebat. Tacit. XIV. Annal. 49. Neq; Amplisf. Senatus dubitavit, qvin altioris indaginis flagitatio ista inusitata esset, qvàm cui confestim subscriberet, metu non prorsus vano, ne, si malis civium postulatis idem ac bonis juris & potestatis foret, brevi claudicaret Respubl. Cæterùm cum nemo esset, qvi me juberet perorare causam; & verò famâ edoctus subtristi essem, sub obtentu utilitatis publicæ mearum partium fautores in dies minui, contributionem, qvam toto biennio reqvisierat continuò magistratus, se laudaturos esse priùs Ordinibus negantibus, qvàm ego spartâ Rectoris exutus forem: omittere non poteram, qvin cum B. Apostolo meum qvodammodo facerem illud vetus: Civis Romanus sum. Ideo ab his in qvorum fide eram, reverenter petebam, ut NIHIL GRATIÆ, NIHIL ODIO DARENT, conscientiæq; magis suæ ac muneris divinitus mandati

dati, qvàm iniqvisſimi infenſorum poſtulati ratione habitâ, providerent, ne fierent mala, ut evenirent bona, neuqvid temerè adverſus me ſtatuentes, obtinendæ ab ordinibus contributioni, defenſionem mihi auferrent, qvæ juris naturalis, ideo à judicio legitimo inſeparabilis eſſet, & qvæ JCtorum phraſis, nec beſtiis, nec diabolo deneganda. Hæc cùm animis non ita iniqvis accepta eſſent, impetravi tandem, poſtqvam ea res toto ferè menſe agitata fuerat in Curiâ, ut IX. Decemb. illuc vocato copiam qvatuordecim capitum, vulgò Gravaminum, faceret Senatus, poſceretq; ad iſta reſponſionem, rejectis cæteris, qvorum imbecillitatem diſcuſſionem haud mereri exiſtimaverat. Illa gravamina Scholarcharum duntaxat in præſentiâ mihi fuerunt recitata; qvi poſt horæ *qvadrantem* me dimiſerunt. Iterum poſt ſextiduum vocatum in curiam rationem me reddere ſuper eo Nobiliſ. Senatus jubebat, qvod ſcripturam (ſunt ipſa verba Senatûs) qvæ non nihil in ſuſpicione relinqveret (nachdencklich) Nobiliſ. & Ampliſ. Senatu, ut & DD. Scholarchis inſciis, ad fores Gymnaſii die dominicâ, durante concione ſacrâ, tempore nundinarum, publicè affigere auſus fuiſſem, eiq; cuſtodiendæ, diſcentes qvosdam per famulum communem convocatos conſtituiſſem, ut, ſi qvis è magiſtratu miſſus veniret, hunc civiliter exciperent; adverſus alios, puta, mercaturæ addictos famulos, jure defenſionis uterentur. Cui parendo dispoſitos à me cuſtodes officialis cujusdam filium alapis & pugnis excepiſſe, eumq; pedibus calcâſſe. Hujus relationis exemplum (recitabatur enim è chartâ) cum Ampliſ. Senatus petenti mihi indulſiſſet, è conſeſſu dimittebar poſt *ſemihoram*. Igitur minimè committendum mihi credebam, ut defenſionem diu deſiderarent

DD. Patro-

DD. Patroni, qvos eâ moderatione egisse libenter cognoveram, ut neutram in partem iviſſe adhuc viderentur. Namq; haud immemor, miniſtrum facti ſui rationes reddere domino teneri, ſi non rectè adminiſtrati officii arguatur, reverentiâ Amplisſ. Senatûs edito objectionum catalogo (neq; enim in hunc diem usq; ab adverſariis ſunt edoctæ, ſicut nec cum illis, uno aut pluribus, aut communi actore, compoſitus ſum) juſtam refutationem opponebam, & luculentisſimam & verbis mollem admodum. Qvippe, ut nunqvam ſtudia hominum per adulationem tentaveram, ſic omni curâ evitavi, qvæ ingrata videri multitudini pravamq; dare interpretandi materiam poſſent; ut judices qvoq; agnoſcerent animi mei moderationem ac manſvetudinem. Et præterqvam qvod inſimulationes iſtas vanas plerasq; ac ineptas esſe liqvebat, ad unam OMNES falſitatis manifeſtè convici: ut nemini refellere, nemini eludere daretur responſionem meam. Similiter poſt dies paucos pro æqvitate programmatis, ſcriptum offerebam D. Præſidi, XXX. Decembr. qvo argumentis tum pluribus firmaveram, tum minimè levibus, qvod libertati illud præſidium adhibuisſem, ad me tuendnm; non licentiæ ad impugnandum alios. Docebam, qvod ſic uſus fuisſem jure meo, ut neq; Sempronio, qvi ex procuratore judicii oppidani, ſeu formulario, Civis Tertii Ordinis, & Scabinus in ſuburbio factus nuper fuerat, neq; Ordinibus ullam fecisſem injuriam; omni facto meo intra depulſionem & retorſionem illatæ injuriæ, hoc eſt, naturalem tutelam non minùs publici muneris qvàm privatæ incolumitatis, atq; exiſtimationis inprimis, conſiſtente. Qvam non permisſam modò per jus gentium omnibus esſe, ſed & favorem mereri, nec auferri

cuipiam jure posse, inter prudentes constaret. Imò, si qvid hac in parte peccatum foret, qvod adhuc probandum, culpam meam nullam, naturæ humanæ fortassis aliqvam esse, at in hoc tamen convenire Iurisperitorum Scholas, qvod dicta vel scripta duriùs occasione antegressæ injuriæ, pro qvalicunq; defensione, favore hujus pro injuriis non haberentur. Gail. II. obs. 100. n. 9. Schneidewin §. I. num II. Instit. de injur. adeoq; alium verbis & factis injuriosis ad defensionem provocans, eaq; occasione læsus, frustra de injuria qvereretur. Cothman. Consil. Acad. IX. n. 20. Siqvidem hæc reqvirit animum injuriandi l. si non conviciis 5. C. de Injur. cum moderamine inculpatæ tutelæ utiq; incompatibilem, qvo deficiente, velut cessante fundamento unico, cessat actio injuriarum. Sicut huic praxis judiciorum rationabilis ista opponit in LL. decantata: Tali saltem innocentiâ vivere debemus, ut non lacesiti vicissim neminem lædamus. Vim vi defendere omnes leges omniaq; jura permittunt. Defensor propriæ salutis in nullo videtur peccâsse. Valde difficilium non secus ac impossibilium nulla est obligatio. Per injuriam provocatus sine metu injuriæ invasorem defendendo retundit. Berlich. 5. Conclus. 46. n. 1. seqq. Non enim eo decurrendum mihi putabam, ut meæ defensioni accommodarem, qvod apud historicum judici eidemq; domino & Regi opponit reus: Etiam si militis tui, aliqva vox asperior esset accepta, merueramus fortibus factis, ut malles ea tempori nostro qvàm animo imputare. Ut verò sciret Amplisf. Senatus qvàm incompetens esset qvestus de filio cujusdam officialis (is erat ipsius Sempronii, in suburbio Scabini) qvi diceretur pedibus calcatus, docebam, nunqvam me suspicatum fuisse,

isse, fore ut puer ex qvartâ, vulgo tertiâ Scholæ classe, seu suâ sponte, seu jussu privati, parentis sui vel alterius, programma Rectoris auferre à foribus auderet, seu discerpere, nedum discentes adultiores, qvorum qvatuor aut qvinqve constitueram omnino inermes ad tabulam, conviciis intolerabilibus incessere; eoq; nec discentibus illis me potuisse præcipere, ut puerum illum pugnis exciperent aut calcarent pedibus: Sicuti etiam posterius à se perpetratum fuisse pernegarent, contentis alapam puero impingere, cum admotâ manu programma violâsset. Hoc unum à me in mandatis accepisse, ut prohiberent, ne per servuli unius alteriusve petulantiam à tabulâ programma eriperetur, (id qvod non rarò expertæ fuerant theses disputationum affixæ,) ideoq; à violentiâ defenderent: magistratui verò programma tolli fortasse justuro, misso ministro publico, parerent. Sic & non aliter rem habuisse, compertum magistratui, qvi eosdem custodes in curiam vocatos examinari jussit. Dictum in modum caussam dicere cùm cœpissem, nihil qvod sciam, defensioni meæ obvertit Sempronius, aut, qvæ ei studebat secta. Et D D. Patroni, postqvam super postulato adversariorum freqventi consessu sæpius in medium consultaverant, qvintâ decimâ tandem Januarij M. DC. LXXXI. responso definitivo Ordinibus coràm declararunt publicè, qvod conscientiæ metu prohiberentur, qvo minùs pœnam, qvam expeterent, abdicationis mihi irrogarent. Veruntamen ejusdem mensis Januarij die vicesimâ nonâ vocato mihi TERTIA vice, hujus causæ nomine Nobilisf. Præses injunxit, ut pro informatione saltem Amplisf. Senatûs, nominarem testes, per qvos probarem injurias Sempronij, qvibus defensionem per programma opposuissem.

Cui ego in eum finem extemplo satisfeci, additis & repetitis precibus, ut jurato & sine vitio examinarentur testes. Sic dimittebar à Dn. Præside intra horæ *qvadrantem*. Sed nec hoc contentus, qvod de examine testium nihil mihi compertum erat, scriptum insuper Dn. Præsidi misi IX. Aprilis, qvo argumentis luculentis fundamento seu causæ mei programmatis, offensioni nempe præviæ, fidem sic satis adstruxeram, simulq; testes plures idoneos offerebam, si his opus foret. Hic finis cognitionis super remotionis merito compendiosissimæ. Cujus pœnæ iniqvitatem & plerique omnes, ut modo dixi, in Collegio Senatorio agnoverunt, & immobili constantiâ asseruit ex Scholarchis Vir Nobilisſ. Georgius Hübnerus. Id qvod mihi fassus est Dn. Præses illius anni, fassus mihi est Dn. Protoscholarcha, idemq; Burggravius Regius, tunc nondum à me alienatus, addito (qvatenus inimicitiæ illi cum eodem Dn. Hübnero intercedebant) qvod virtus etiam in hoste laudanda. Nec multò pòst consedit ille malevolorum in me impetus: seu Patronorum hunc declaratio autoritasq;, seu consilium paulatim & ratio moraq;, ut ferè fit, restinxerat. Certè toto trimestri altum fuerat de abdicatione mei silentium, ut nemo vocem emitteret amplius; qvod mihi confirmabat amicus idemq; Proto-Scholarchæ convictor: cum interim Amplisſimos Patronos, præter opinionem meam, nescio qvæ sententia vertit, ut, magno malevolorum gaudio, eadem manente omninò causâ, paucorum invidiæ, qvos hîc nominare non libet, me paterentur succumbere, hoc est, decretum in me facerent triste magis qvàm serium, qvod simul illorum antè conscientiæ, simul meæ repugnaret defensioni; ut minimè perfunctoriam me adhibuisse agnoscit

scit Nobilisſ. JCtorum Francofurtanæ Univerſitatis Collegium, his qvidem verbis: Rector habe die ihm vorgeworffene Puncta ſufficientisſimè elidiret / und mit ſo wol gegründeter remonſtration wiederleget / daß höchſt billig und denen Rechten gemäß geweſen / ihn rechtmäßig zu convincirn / in deſſen Ermangelung mit der pœnâ remotionis wieder ihn nicht können verfahren werden / ſondern vielmehr E. E. Rath ihn von allem Anſprach hätte entbinden ſollen. Etenim, ne lateret juventutem Scholaſticam, qvanta homini literarum rudi publicè dignatio ac gratia, qvantum Rectoris Gymnaſii vilipendium faſtidiumq; foret, Sempronius qvidem ad Scabinatum veteris oppidi iverat, ante bimeſtre, prono itinere: mihi verò VI. Maji D. Præſes in ædes ſuas acceſſito ſignificabat, factum Senatûs decretum eſſe, ad inſtantiam Ordinum, à miniſterio Scholaſtico ut mihi abire liceret. (Ich würde hiemit vom Rectoratu licentiret.) Amplisſimoq; Senatui rem non ingratam me facturum eſſe, ſi urbis nomine iter ſuſciperem in Sveciam, exigendis à Fiſco Regio Thorunenſium nominibus. Hoc ærumnarum mearum ſolatium, hoc favoris publici pignus atqve indicium accepi à Dn. Præſide, Oratione qvàm contracta, tam mihi improvisâ ac mœſtâ. Simul incertum, utrum magis inſolens haberetur, ſocietas iſta odii & gratiæ, an condemnatio rei ad inſtantiam actorum, judicio ſuper exauctoratione tam compendiario. Nam, qvæ per fas gentium & jus naturale ad juſtum judicium reqviruntur, ac ne in proceſſu qvidem militari, etſi rigido ac inprimis ſummario, omitti debent: *Ut (1.) actor vel accuſator, [verba ſunt celeberrimi JCti] in qvod reum convenit, (2.) proponat, & hic (3.) reſpondeat; negata ille (4.) probet & qvidem ita, ut reo (5.) teſtes nominentur,*

nentur, & cum (6.) ſuſpectos recuſandi, tum pro defenſione (7.) interrogatoria, vel reprobatorios articulos formandi occaſio ſit; iſti etiam, (8.) præſente parte, jurent, (9.) actorum copia, & (10.) tempus ad defenſionem aptam concedatur; non ſit (11.) ſuſpectus auditor &c. hæc & ſimilia ſupervacua credebantur, cum hominis de Scholâ incolumitas atq; exiſtimatio ageretur, imò & vita: ut hanc retinere vix vult aut poteſt, qvi illam læſam non patitur, inſuperq; conjugem & ſobolem in diſcrimen adduci animadvertit. In eandem ſententiam D. Præſes abdicationem mihi denunciat die XXIX. Maji ſecundum; & die XXIV. Julii tertium. Nec qvicqvam proficio exceptione iniqvitatis & oppreſſionis, qvâ uſus ſum ex mente Feſti, Act. XXV. 6. primùm VII. Maji; dein XXIX. Maji tum XX. Julii, porro XXIV. hujusdem menſis. Etiam apud Ordinem ſecundum & tertium dicendi copiam fruſtra oro, fruſtra ad hos literas mitto. Credo, qvia pavidus & ſupplex agnoſcere amotionis meritum, orare multum, flere multum debueram. Qvod cum neq; ex meâ ingenuitate, neq; ex officii publici honore eſſet, ſimul ego ſpe nonnullâ ſuſtentarer, fore, ut reminiſcerentur nonnulli, Patronorum officii, qvod ſanctiſsimè cuſtodiendum eſſe, ignorare non poſſent: ad extremum XXVIII. Auguſti ad me venit Dn. SS. curiæ à ſecretis, qvi remotionis placitum alio ſub pallio exhiberet, his verbis qvæ ex loqventis ore calamo excipiebam: Er hätte im Nahmen E. E. Hochw. Rahts mir vorzubringen/daß mir erinnerlich ſein würde/ was eine geraume Zeit wegen der Ordnungen paſſiret/ und was von ermelten Ordnungen vor dreyen virtel Jahren geſuchet; wie das der Herr Præſident mir gemeldet/daß ich bey ſolchem Ampte nicht würde beſtehen können. Und wiewoll ich mit meinen Schrifften

ten bey denen Ordnungen eingekommen / wäre es doch dabey verblieben / und nunmehr derer sämptlichen Ordnungen Schluß / daß ich meines Officii, so wol der Lectionen / als anderer darzu gehörigen functionen mich nicht mehr anzumassen hätte; sondern die Wohnung des Gymnasii zwischen hier und Michaelis zu räumen schuldig sein solte. Hac formulâ vasa colligere jubebar: cujus examen relinqvo cordati lectoris judicio. Cæterùm cum significassem, Nobilisſ. Senatui scripto me responsurum, qvod æqvitati & tempori meo consentaneum existimarem, interim de abdicatione nunc qvartum mihi denunciatâ, ceu non justâ & immeritâ protestari; simulq; responsum Theologicum super tali remotionis specie, qvalem in præsens experirer, ex volumine Consiliorum Wittebergensium, Part II. fol. 213. recitassem: accidit, ut protestationis per Ministerialem Regni, qvem vocant, postridiè à me interpositæ simplicitatem pro superbiâ accipientes plura attentarent infensi, qvæ refert protestatio, & illud contumeliosissimum, qvod programmate dato die 29. Augusti in publico remotionem intimarent II. Septembr. Scio ex ore Cos. primarii, cum ferè sub idem tempus in caput viliſſimum, servum aratorem, (Thomee vocabatur) gladii pœnam decreviſſet idem Nobilisſ. Senatus, postera die, ostensa sententiæ iniqvitate agnitaq;, capitis eum absolviſſe. At verò ex libidine malevolorum, ubi in me remotio decreta est, nec exceptiones meæ ultrà attenduntur, nec Baldi monitum: qvod judex absq; difficultate revocare debeat, qvod perperam fecit. Gail. II. obs. 76. n. 15. Imò postqvam negarunt superiores, se illæsâ conscientiâ, officium mihi posse adimere: postqvam deinde decretum aliud in hac causa latum ad acta redegerunt, qvod mihi denunciatũ non est: postqvam item iniqvitas decreti abdicationis executioni mandati iterũ

in Curiâ agnita est; sicut ex Præ cos. qvendam dixisse ultro compertum habeo: Er müste es bekennen/ daß mir zu viel geschehen wäre: nihilomin9 in remotionis iniqvo consulto perseveratur: perinde ac si eodem ego jure remotionem paterer, qvo mancipiorum supplicium innocentium probabat, qvi habere aliqvid ex iniqvo, censebat, omne magnum exemplum, qvod adversus singulos publicâ utilitate rependeretur. Qvanqvam non alio argumento adhuc occurri meis qvestibus è Curiâ memini, qvàm qvod necessitatem decernendæ remotionis Senatui Ordines imposuissent. Item, qvod Curia præjudicata haberet de verbi ministris, & in his S. Theol. Doctore, indicta causâ remotis ab officio. Illud inter alios ad Bibliothecam Gymnasii, cum claves à me posceret publicè, in præsentia Dn. S. L. Curiæ à Secretis; hoc mihi domi suæ referebat Dn. A. B. Consul novi oppidi. Ac ne obscurum esset, qvo loco haberentur, qvi pacto stipendio Ecclesiæ & Reip. operas præstant, etiam noti mihi, qvi adderent: E. Rahtwürde nicht litigiren mit seinem Clienten. Qvod nescio, qvo jure subnitatur. Tantum miror, cur, qvem clientem & civem honorarium agnoverunt, legis statutariæ ambitu excluserint, qvâ sine judicum sævitiâ, & urbis præjudicio tractaretur lis mota; eâ præsertim parte, qvâ ad Sempronium, non ad senatum ac civitatem pertineret. †

Nimis

† *De injuriis lex extat gemina, Cap. XVII. art. II. Harum* prior *sic habet:* Si qvis civis, adversus D. Præ-Cos. aut Cos. judicem, aut Scabinum infra atrocitatem delinqvat, (nicht schwerlich übertrete) civem istum Senatus verbis primâ vice reprehendito, alterâ punito mulctâ. Posterioris *hæc sunt verba:* Si qvis seu honoratioris, seu seqvioris conditionis dolo cuipiam malo injuriam verbis inferat, (freventlich mit

Nimis dura fuit mea conditio, si hoc qvoq; scire debui aut discere: Civem ex tertio Ordine litem susceptur um non esse cum Amplis. Senatûs cliente.

B.

Literæ & Testimonium S. R. M. Sveciæ in Pomeraniâ Vice-Gubernat. & Consil. Statûs

I.

Sacræ Reg. Maj. Sveciæ per Pomeraniam constituti Vice-Gubernator & Consiliarii Regentes.

AMicâ nostrâ salute præmissâ, Vir eximie atq; doctrinâ & eruditione præstantissime, literæ tuæ, qvibus nobis valedicere, simulq; vocationem, qvæ tibi ad Thorunensis Scholæ Rectoratum accidit, notificare voluisti, rectæ nobis redditæ sunt. Ex qvibus percipere haud ingratum nobis fuit, idem fatum, qvod Te nuper aliorsum (a) destinaverat,

mit Worten vergreiffet) spectabilis Senatus, clausas intra fores, istam discordiam ex æqvo & bono cognoscito, judicato, punito ac decidito. *Eò nimirum tendit lex utraq;, ut, qvamvis de facti atrocitate loqvatur posterior (qvam cum programmate meo conjunctam esse, nemo evicerit, & Collegium juridicum disertè negat) reo tamen simul convento prospiciatur. Sicut alias in hujusmodi causis tractatus amicabiles solent præmitti, omniq; ope judiciali promoveri. Id qvod à prudentissimis JCtis suaderi, in laudabilibus judiciis observari, & in ordinationibus summorum Tribunalium præscribi, satis constat.* Conf. Joh. Brunnemann. Process. Civil. cap. 2. n. 10. seqq.

(a) *oblata mihi fuerat Vocatio ad professionem Eloqventiæ in Academiâ Patriâ.*

naverat, se adeò providum & benignum erga Te exhibuisse, ut Tibi illico de aliâ spartâ prospexerit. De qvâ & Nos cum cæteris tibi benè cupientibus tibi gratulamur, atq; ut Tibi studiosæq; juventuti emolumento & commodo sit, sicut speramus, vovemus. Testimonium benè apud nos perfuncti officii, qvod desideras, isto tibi prompti adesse voluimus. Ecce igitur istud hisce inclusum, una cum literis ad D. Sparfeldium salarii tui residuum concernentibus. Accipe hoc veluti benevoli affectus signum, qvem Tibi DEO Opt. Max. ad prospera qvævis commendato, perennem promittimus ac pollicemur. Dabantur Wolgasti, die 28. mensis Martii, Anno MDCLXVII.

T.

Benevolentissimus, & Cupidissimi

B. H. v. Bülow, mpp.
J. K. Owstien, mpp.
H. E. Sellius.

Viro Eximio & Doctrinâ ac Eruditione Præstantissimo, Domino Ernesto König. LL. AA. Magistro, jam designato Gymnasiii Thorunensis Rectori, Amico nostro perqvam dilecto.

Sedinum.

II.

Sacræ Regiæ M. Sveciæ per Pomeraniam Constituti Vice-Gubernator, & Consiliarii Regentes.

Constare volumus universis ac singulis, qvorum interest, salute & qvibus competit, obseqviis ac officiis nostris præmissis

misſis, qvod exhibitor harum, Vir Præclarus atq; Eximius, Dn. M. Erneſtus König, apud Pædagogium Stetinenſe per ſexennium, Subrectoratu, eâ qvâ par eſt, diligentiâ & fidelitate functus ſit, eumq; præterea ſe erga unumqvemq; geſſerit, ut ſingularis modeſtiæ, integerrimæq; vitæ laudem optimè meruerit. Cùm verò impetratâ à nobis dimiſſione, ad capeſſendum Gymnaſii Thorunienſis Rectoratum, ipſi vocatio contigerit, cui velut Divinæ obedire iſtucq; ſe conferre conſtituerit, nos non potuimus ei denegare decenter à nobis poſtulatum vitæ apud nos honeſtiſsimè peractæ Teſtimonium. Qvod ipſum non ſolùm, tenore præſentium, atteſtamur, verùm etiam omnibus Poteſtatibus & Magiſtratibus, imprimis verò Ampliſs. & Spectabili Senatui Thorunienſi, præfatum M. Erneſtum König, ceu virum haud vulgariter doctum, probum ac induſtrium, commendamus: parati viciſſim unicuiq; qvi huic noſtro Teſtimonio & commendationi locum relinqvere, prædictũq; Magiſtrum gratiâ, benevolentiâ ac amore ſuo, ut virtus ipſius meretur, proſeqvi dignatus fuerit, officioſam noſtram in ſimili vel alia occaſione teſtari benevolentiam ac promtitudinem. In qvorum omnium fidem præſentes manu noſtrâ ſubſcriptas Regiminis ſigillo communiri juſſimus. Datum Wolgaſti, d. 3. April. MDCLXVII.

H. C. v. Sternbach/ mpp.

L. S.

B. H. v. Bülow, mpp.
J. K. v. Owſtin, mpp.
H. E. Sellius.

C.

I.

Declaratio super decreto abdicationis d. VI. Maji MDCLXXXI. per Dn. Præsidem mihi denunciatæ.

Viri Magnifici, Nobilissimi, Amplissimiq;, Patroni & Domini Colendissimi.

QVartus decimus annus est, cum Gymnasii in Pomeraniâ Regii Professorem ad præfecturam hujus Minervii publicis literis me advocastis; dies secundus, ex qvo ab hac Provinciâ abeundi licentiam per Magnif. D. Præsidem mihi fecistis, hoc est, exilium indixistis. Qvam profectò fortunam sicut à vobis, Patres, non timui, multò minùs benè operandi constantiâ merui: ita non potui istâ vestræ expositione sententiæ non commoveri. Valuit apud me, qvantum apud ministrum valere debuit, Nobilissimi ordinis vestri autoritas semper: ut tamen illo decreto acqviescerem, impetrare à me non potui. Animum in diversa abeuntem firmabat illa apud Comicum exceptio filii: *Qvid feci? Qvid commerui aut qvid peccavi pater?* Enim verò Deus mentium cognitor mihi testis est, qvod causam idoneam nullam, imò plus dicam, ne probabilem qvidem ac semiidoneam ullam invenio, qvare id genus decreti in me feratur: sicut nec alio argumento expositionem vestræ voluntatis, Domini, munivit Amplisſ. D. Præses, qvam qvod spectabiles ordines indefessè abdicationem mei ursisent. Qvod si decer-

decernendo adversus publicum Gymnasii Professorem exilio satis est, vestris conscientiis, Patres, æstimandum relinqvo, num qvis facilè possit cogitari miserior homo, qvàm publicus hujus civitatis minister? Adeòne sub dura conditione huc vocari aut vivere hîc debui, ut, dum famulis domesticis & servis adversus herorum herarùmve injurias & intempestivam famulatus resignationem brachio publico cautum est, Rector Gymnasii ad solum Ordinum instantiam exilio merear multari? Non sum nescius, Domini, ingentem articulorum struem ex qvatuordecim annorum ministerio congestam ad vestram cognitionem mense Novembr. superioris anni prædictos spectabiles ordines detulisse. Sed & vos, Nobilissimi Domini præterqvam qvod nonnullos refutatione meâ indignos censuistis, jam antè vestrâ sententiâ damnatos, plus satis, credo, ex libro, qvem refutationis loco exhibui, perspexistis, qvàm parum in recessu haberent qvatuordecim illa gravamina, qvorum copiam mihi feciſtis. Omitto, qvod pleraq; illorum sunt inepta, levia & ἀπεφθέγγυσθαι: hoc sanè nemo cordatus æqvo animô ferat, certè non excuset, qvod ad unum omnia, dico omnia, falsa & conficta sunt: ut planè non dubitem, qvin autores jamdudum illorum puduerit. Id qvod non solùm responsio mea, sed ipsa propè nuda illorum inspectio lectorem docebit. Qvid enim qvæso, Domini Colendissimi, ponderis habet ista probatio? Rector præsens publico exuendus ministerio est: qvia legum Scholasticarum fidus custos est: qvia honoraria ab introducendis & nonnunqvam à discedentibus sponte oblata non respuit: qvia necessitate adductus permittit, ut adolescentes domi nobiles eundis exeqviis abstineant; dum coactioni nullus

locus est : (a) qvia Cantoris novi oppidi vitio seu culpâ, non Rectoris, tertiâ feriâ Paschatos musica in templo omissa est : qvia primæ & secundæ Cl. adolescentes qvosdam & pueros privata qvandoq; dignatur informatione (b) qvia operam dat promotioni peregrinorum ad hospitia liberalia, nec pædagogos patitur pro lubitu numerum multiplicare discipulorum, cum damno Gymnasii publico : qvia Collegam minùs probatum ad Classis superioris informationem non promovit : qvia à privatis (c) discipulis nomine didactri trimestris Imperiales solidos duos, à ditioribus tres, qvatuor & ad summum qvinq; accipit : qvia pro ædificatione Theatri in usum dramatum à juventute Scholastica exhibendorum, publicâ Scholarcharum autoritate, trabes aliqvot publici ædificii, ex judicio architecti amovit innoxiè : qvia in qvosdam civium filios nunc carcere nunc ferula animadverti jubet, ex LL. præscripto : qvia adolescentes & pueros Polonicæ lingvæ discendæ causâ huc missos, ad lectiones publicas cæteras omnes audiendas cogit, imò & privatim Polonicam lingvam discentes odio prosequitur ; qvo nihil dici potest falsius : qvia per lectionum publicarum constantiam & brevitatem innoxiam auditores non detinet : qvia singulis semestribus cum ad sacram Domini mensam cœtus scholasticus accedit, novam obedientiam à supremanis & primanis stipulatur (d) sub eâ formula, qvæ introducendis proponitur, inde à tempore B. Doctoris Heinrici Schævii : qvia deniq; in circuitu Gregoriano ante octo vel decem annos studi-

(a) inde verò ne grossum qvidem est lucratus.
(b) qvod LL. Scholasticæ minimè probibent.
(c) qvorum nemo illum coacto audivit unqvam.
(d) nullo omnino unqvam interveniente juramento.

ſtudioſus qvidam, Rectore inſcio, idq; cum ei innotuiſſet, reprehendente, civi cuidam ſex groſſos donarii nomine offerenti reſtituit, additis ſex groſſis aliis. Hæc ſunt illa peccata, qveis judicio malevolorum abdicationem, &, ſi penes adverſarios ſit, relegationem meruerit Gymnaſii Rector! Qvod ſi enim programmate publico d. 3. Novembr. ſuperioris anni affixo, qvo injuriæ à non nemine illatæ mihi, deficiente remedio ordinario, qvippe hactenus negato, occurrendum fuit, commune ordinum odium & pœnam remotionis promerui, cur ad iſta inania decurrerunt? Qvæ cauſam vulneratam oppidò arguunt. Sed & apologia iſtius programmatis, qvam vobis jubentibus, Domini, compoſui, atq; abhinc qvatuor menſes exhibui, abundè docet, nemini me injuriam feciſſe; qvoniam meo jure uſus ſum: & ex triginta thematibus ne unum qvidem, qvod ſciam, fuit impugnatum. Nihil eſt ultrà, qvod urgeri pro mei abdicatione poſſit, niſi qvod pro avertenda Gymnaſii ruina, Vos, Ampliſſimi Domini, inde ab anno 1673. per literas flebiles ſubinde imploravi, vigore LL. veſtrarum, qvas non minq cuſtodire volui, qvam debui: qvodve d. 18. April. procacitatem cujusdam Scholaris, qvi loco movere, qvem ego aſſignaveram, commilitonum unum alterumve auſus eſt, alapa impacta ultus ſum. Habetis Nobiliſſimi Domini, flagitia Rectoratus mei & delicta, qvorum ſi grandior catalogus eſt, nihil magis eqvidem in votis habeo, qvàm ut in conſpectum meum & lucem publicam veniat; juſtitiæ qvippe eſt & veritati hoc proprium, qvod lucem non fugiunt: ut conſtet tandem mihi, conſtet viris bonis & æqvis, qvi in hunc usq; diem me norunt, qvo jure exilium mihi indicatur. Cæterùm non verebor univerſum

provocare Thorunium, & si qvi sunt alibi, qvi me perditum eant, si docere argumentis idoneis possint, me à boni ministri, addo & viri boni officio, scientem volentem discessisse, me totis qvatuordecim annis vel semel reprehensionem vestram, Domini, aut Amplissimi Collegii Scholarchalis incurrisse. Contrà ego certum habeo, si vel limis aspicere tot annorum Rectoratum meum velint, satis hunc declaraturum superq; me modis omnibus enisum fuisse, ne qvid detrimenti caperent res hujus Gymnasii, ac nihil adeò feciſſe, cujus non DEO, Magistratui & viris bonis, qvæ villicationis meæ summa est, reddere rationem possim. Qvod si in vivis essent Collegæ, qveis inde ab ingressu in hanc Scholam usus sum, eos, qva fide & industria functus mandata provincia sim, testes compellarem omnes. Nunc cùm plerique eorum finiverint, Clarissimos Viros, M. Samuelem Schelgvigium, jam apud Dantiscanos S. Theologiæ Professorem & verbi ministrum, M. Christophorum Hartknoch & Wenceslaum Iohannidem, in partes voco, simulq; Amplisſ. & Magnif. Dn. Præsidem, Andream Baumgarten/ qvem non semel his conceptis verbis testimonium perhibere memini: DEUM testem appello, nunqvam me Gymnasii alumno, æqve ac nunc emicuisse operarum dexteritatem assiduitatemq;. Mores præterea fatebuntur omnes & vos inprimis, Domini, fatebimini, ita me composuisse, ut honestè totis his qvatuordecim annis in urbe hac vixerim, neminem læserim, suum cuiq; tribuerim, veræq; ante omnia studuerim pietati, Voscq; ceu Patronos & Magistratum urbis inclytum, nunqvam non debita veneratione & cultu prosecutus sim. Iterum iterumq; dico: *Qvid feci? Qvid commerui aut peccavi*, Patres, cur

cur filius vester hac abdicationis sententia, aut, ut qvam mollissimè dicam, Ostraciſmo hoc dignus ducar? An ſicut Aristidi olim fraudi erat, qvod adeo excellebat abſtinentiâ, ut cognomine juſtus appellaretur: ita ego hoc ſaltem nomine de ſtatione Divinitus per vos mihi aſſignata dejiciendus ſum, qvod, ut Scholam veſtram meliorem, qvàm accepi, hoc eſt, omnigenæ literaturæ ac morum cultu florentem ad ſucceſſorem transmitterem, nullis vigiliis, nullis laboribus, moleſtiis nullis peperci? Intellexiſtis utiq; qvò ſpectarent verſus Reverendi & Clariſſimi viri Samuelis Schelgvigii, qvemhonoris cauſa iterum nomino, in luctuoſo B. Præ-Cons. & Proto-Scholarchæ D. Georgii Crimmermanni funere:

Nunc etiam legum revocatur ſancta poteſtas,
Qvo ſchola Palladio deficiente perit:
Non exantlatos mens eſt memorare labores:
Siſyphium nemo carmine pingat onus.

Qvo magis, Patres & Domini, mihi in præſens rogandi eſtis, ut ſepoſitis affectibus, qvos iis, credo, debetis, qvi peculiariter mihi, at nullo meo merito, infeſti ſunt, ne gravemini, qvæ neceſſitate adductus ad vos ſcribo, attentè legere; cum præſertim non ad me privatim duntaxat hoc pertinere, ſed & ſcholæ qvoq; veſtræ incolumitatem, &, ſi patimini hoc verbum, collegii veſtri inclyti dignitatem videatur: niſi me prorſus animus fallit. Conſtat ſanè, Ægyptios hunc in modum expreſſiſſe Magiſtratûs imaginem, ut ſceptro adjungerent oculum, ſceptro qvidem deſignantes animum rectum, integrum, à juſtitiaq; deflectere neſcium; oculo verò prudentiam, qvid congruum, qvid publicè ſalutare, commonſtrantem. Has dotes, cum Magnificus veſter ordo civibus juxta & extraneis probaverit,

DEUM

DEUM precor, Domini, ut in hac persecutione mea, (cujus primos motores haud alios nôstis esse, qvam qvi inevitabilem filiorum coërcitionem, at moderatam tamen & levé admodum, vel etiam postpositionem circa tempus examinum necessariam, materiam arripuerunt odii adversus me plusqvam Vatiniani,) ea animis inspiret vestris consilia, qvæ & Scholæ Ecclesiæq; salutaria & digna tanto collegio sint. Etenim, præterqvam qvòd periculum est, ne ista via malum sanandum prematur magis ad tempus, qvàm extingvatur, brevi post erupturum majori cum detrimento Reipub., vel, me tacente, qvæ vestra providentia est, intelligitis, qvò gravior est ordinis vestri Nobilissimi autoritas, hoc sanè fas esse in decernendo majorem à vobis usurpari æqvitatem ac mansvetudinem, minimumq; committendum vobis, ut amplissima vestra potestas serviat privatis hominum mihi malevolorum affectibus. Certè in hominem, qvi corpusculum hoc & hunc animum vestri Gymnasii bono totis qvatuordecim annis impendit, talem ſententiam nulliter ferri [sit venia dictionis necessitati) vereor, ne multum abesse dicturi cordati sint, ab opinione, qvam de Magnifico vestro Ordine haberi domi forisq; fas sit. Qvod si mea tenuitas vetat, qvò minus id vobis, Domini, persvadeam, saltem magnum & incomparabilem illum prudentiæ Magistrum Des. Erasmum audire ne gravamini: *Fortasse, scribit ille illustri cuidam Collegio, nihil facilius, qvam Erasmum obruere; sed nec continget vobis admodum splendidus triumphus, si tot Heroës culicem unum oppresseritis. At res invicta est veritas, & inexpugnabilis Christus, veritatis Patronus, adversus qvem stimulum jactare calces durum est. Imbecillis est Erasmus, fateor, sed est potens veritas, contra qvam absit, ut vester consensus aliqvid moliatur.*

tur. Quodsi fieret, majore periculo vestræ existimationis fieret, qvàm meæ. Etenim si sexcenti judices pronunciarent, poculum esse æreum, qvod foret aureum, judicum autoritas non efficeret, ut aurum in æs verteretur, nec jacturam sentiret poculi dominus, sed ipsi judices auctoritatis suæ jacturam facerent. Rogo vos Amplissimi Domini, oroq;, ne, cùm Erasmum vobis sisto, in jactantiæ partem accipiatis, tanqvam illi Heroi & literatorum Principi ego minutus, ego pusillus comparari Scholasticus vel è longinqvo velim. Non ita mihi suffenus sum, non. Neq; Momus ipse evicerit, nisi qvis illud qvoq; vitio mihi vertendum credat, si Doctoris cœlestis præcepti vos commonefaciam Joh. VII. 24. *Ne judicate secundum speciem, sed justum judicium ferte.* Sepositis personis, circa qvas favor & odium nasci solet, rem nudam spectate, neq; in alio damnate, qvod alii non imputaretis. Cum nihil itaq; deliqverim circa functionem mihi creditam, nihil deliqverim extra functionem, qvod censuram publicam mereatur, cogitate, Domini, qvàm durum vestrum in me Decretum sit, cum alias ob circumstantias, tum qvod causam nullam allegatis, præter instantiam Ordinum. Qvæ aut manifestè iniqva est, si communicatis mihi gravaminibus, & nunqvam probandis, (qvippe evidenter falsitatis convictis,) ultrà inhærent; aut, si novis argumentis suffulcitur, qvod neutiqvam credo, processu legitimo debet experiri: nisi fortè tuendæ judicis conscientiæ satis putent, si, exemplo Pilati, hunc in modum Titium condemnet: Titius traditur Carnifici, qvia Cajus adversarius ejus instantissimè hoc urget. Sed nihil potest dici verius hoc, qvod legitur apud Juris Consultissimum Carpzovium: *Non minimi præjudicij est actus remotionis, qvippe qvo non modo existimatio Pastoris (par est ratio Rectoris*

ctoris & Professoris) periclitatur, sed etiam proventus & reditus ipsi auferuntur. Ergo nunqvam absq; causæ cognitione & contra inauditum (vel non sufficienter auditum & defensum) hic actus suscipi debet, ne juris ordine violato processus reddatur nullus. Defin. Consist. p. 206. Item: non est ab officii administratione qvis suspendendus, (multò minus dejiciendus) nisi qvi graviter in officio deliqvit, ut nullam prorsus excusationem aut veniam mereatur. Defin. For. Part. II. Constit. 22. defin. 25. Qvæ totidem ferè verbis leguntur apud Antonium Fabr. lib. 9. Tit. 24. defin. 12. Nulli viro bono placere debet vel potest, officialem suo officio sine justâ causâ privari, scribit Iacob. Menochius A. J. Q. Lib. I. qvæst. LV. ubi latè & ex professo pertractat hoc thema. Plura non libet in præsens afferre in medium; nisi qvod capere neqveam, qvo pacto factum remotione dignum censeatur, qvod post tot annorum patientiam injuriam minimè ferendam publico programmate sine vitio propulsavi, à vobis, Domini, parcè & rarissimè ab injuriis vindicatus, illi verò qvi mali propè ingentis fuissent autores (ne utar verbis vestris) impunè tulerunt. Hæc qvomodo cohæreant, Domini, judicium esto penes intelligentes! Saltem dignus est memoratus Erasmus qvi hanc in rem qvoq; audiatur ex Epistolâ, qvam dedit ad qvendam Græcæ lingvæ in Collegio trilingvi Buslidiano, qvod erat Lovanii, Professorem: *Ni tam atrox esset contumelia, prorsus autor tibi futurus sim, ut vel iniqvis conditionibus pacem admitteres. Nunc, cum ejusmodi sit contumeliæ genus, ut nemo non detestaturus sit, si qvid ejusmodi commisisset herus in suum mancipium, cujusmodi designarunt ÿ, qvorum partes erant omnem injuriam à frugi Scholasticis depellere, non ausim, ut facias svadere; qvod tamen tuo bono*

factum

factum esse cuperem. Mira verò Tyrannis! Ipsi cum ne vocula qvidem ullius injuriam ferant, postulent, ut tu tam insignem contumeliam musses, ac propemodum ultrò etiam veniam postules, ne qvid scilicet decedat illorum dignitati. Res erat digna, qvæ posteris innotesceret. Sic Erasmus. Præteribo istud, qvod in tantâ mea innocentiâ parcendum ornatissimæ fœminæ, uxori meæ erat, vestræ civi, vestræ consangvineæ & affini, ex illis parentibus & majoribus ortæ, qvi non Scabinatu, Consulatu, Præconsulatu & Burggrabiatu magis, qvàm virtutibus & meritis in hac urbe inprimis floruerunt: parcendum matri ejus, matronæ inprimis conspicuæ & Manibus paternis, qvibus triginta & amplius millium florenorum nomine à viginti qvinq; annis obstricta hæc civitas afflictionem sine solatio relinqvit. Domini: parcendum avunculo, vestro collegæ, parcendum fratri deniq;, qvi vobis à secretis erat, cui Varsaviæ in Regni Comitiis, vestris & urbis negotiis incumbenti, post funusq; Aviæ dulcissimæ luctuosum læta omnia de superstitibus sibi pollicenti, infaustæ abdicationis nuncium soror germana feret. Provocarem sanè ad S. Regiam Maj. Poloniæ, Dominum nostrum Clementissimum, si, præterqvam qvod sententia ipso jure nulla provocatione non indiget, facultatum mearum tenuitas prosequendæ appellationi sufficeret. Nunc, qvia nec illo mihi præsidio uti licet, inter cætera, qvæ mihi utiq; permittetis, tuendi juris mei remedia legitima, ad DEI Filium, JESUM Christum, siqvidem in sententiâ, cui parere nec possum, nec debeo, perstare volueritis, confugio, ad cujus tribunal Vos me priores, per disertam LL. Scholasticarum vocem, remisistis. Hic est ille Pastor meus, qvo providente, ut est symbolum meum, non indigebo! Hic est Jehova Dominus Zebaoth, qvi qvæ ge-

ctoris & Professoris) periclitatur, sed etiam proventus & reditus ipsi auferuntur. Ergo nunqvam absq; causæ cognitione & contra inauditum (vel non sufficienter auditum & defensum) hic actus suscipi debet, ne juris ordine violato processus reddatur nullus. Defin. Constit. p. 206. Item: non est ab officii administratione qvis suspendendus, (multò minus dejiciendus) nisi qvi graviter in officio deliqvit, ut nullam prorsus excusationem aut veniam mereatur. Defin. For. Part. II. Constit. 22. defin. 25. Qvæ totidem ferè verbis leguntur apud Antonium Fabr. lib. 9. Tit. 24. defin. 12. Nulli viro bono placere debet vel potest, officialem suo officio sine justâ causâ privari, scribit Iacob. Menochius A. J. Q. Lib. I. qvæst. LV. ubi latè & ex professo pertractat hoc thema. Plura non libet in præsens afferre in medium; nisi qvod capere neqveam, qvo pacto factum remotione dignum censeatur, qvod post tot annorum patientiam injuriam minimè ferendam publico programmate sine vitio propulsavi, à vobis, Domini, parcè & rarissimè ab injuriis vindicatus, illi verò qvi mali propè ingentis fuissent autores (ne utar verbis vestris) impunè tulerunt. Hæc qvomodo cohæreant, Domini, judicium esto penes intelligentes! Saltem dignus est memoratus Erasmus qvi hanc in rem qvoq; audiatur ex Epistolâ, qvam dedit ad qvendam Græcæ lingvæ in Collegio trilingvi Buslidiano, qvod erat Lovanii, Professorem: *Ni tam atrox esset contumelia, prorsus autor tibi futurus sim, ut vel iniqvis conditionibus pacem admitteres. Nunc, cum ejusmodi sit contumeliæ genus, ut nemo non detestaturus sit, si qvid ejusmodi commisisset herus in suum mancipium, cujusmodi designarunt ÿ, qvorum partes erant omnem injuriam à frugi Scholasticis depellere, non ausim, ut facias svadere; qvod tamen tuo bono*

factum

factum esse cuperem. Mira verò Tyrannis! Ipsi cum ne vocula quidem ullius injuriam ferant, postulent, ut tu tam insignem contumeliam musses, ac propemodum ultrò etiam veniam postules, ne quid scilicet decedat illorum dignitati. Res erat digna, quæ posteris innotesceret. Sic Erasmus. Præteribo istud, qvod in tantâ mea innocentiâ parcendum ornatissimæ fœminæ, uxori meæ erat, vestræ civi, vestræ consangvineæ & affini, ex illis parentibus & majoribus ortæ, qvi non Scabinatu, Consulatu, Præconsulatu & Burggrabiatu magis, qvàm virtutibus & meritis in hac urbe inprimis floruerunt: parcendum matri ejus, matronæ inprimis conspicuæ & Manibus paternis, qvibus triginta & amplius millium florenorum nomine à viginti qvinq; annis obstricta hæc civitas afflictionem sine solatio relinqvit. Domini: parcendum avunculo, vestro collegæ, parcendum fratri deniq;, qvi vobis à secretis erat, cui Varsaviæ in Regni Comitiis, vestris & urbis negotiis incumbenti, post funusq; Aviæ dulcissimæ luctuosum læta omnia de superstitibus sibi pollicenti, infaustæ abdicationis nuncium soror germana feret. Provocarem sanè ad S. Regiam Maj. Poloniæ, Dominum nostrum Clementissimum, si, præterqvam qvod sententia ipso jure nulla provocatione non indiget, facultatum mearum tenuitas proseqvendæ appellationi sufficeret. Nunc, qvia nec illo mihi præsidio uti licet, inter cætera, qvæ mihi utiq; permittetis, tuendi juris mei remedia legitima, ad DEI Filium, JESUM Christum, siqvidem in sententiâ, cui parere nec possum, nec debeo, perstare volueritis, confugio, ad cujus tribunal Vos me priores, per disertam LL. Scholasticarum vocem, remisistis. Hic est ille Pastor meus, qvo providente, ut est symbolum meum, non indigebo! Hic est Jehova Dominus Zebaoth, qvi qvæ ge-

runtur, videt & judicat! Hic vel analysi lætâ famulum suum dignabitur, qvamvis nondum qvinqvagenarium, at Professionis publicæ saxum plusqvam Sisyphium jam ultrâ annos viginti, bonâ cum fide volventem; vel, si servitio meo ultrà delectatur, viam profectò inveniet, qvâ qvoad vixero, seu Thorunii, seu, si vestro libuerit ipsi decreto subscribere, alibi provideat mihi cum uxore fidissima, & unico conjugii pignore, filiâ parvulâ! verbo: cum exilii justi candidatus nec sim, nec esse velim, enitar bono cum DEO, ne talis meritò habear, & Jehovam spero ac confido, adfuturum certissimum innocentiæ meæ vindicem. Vosq; oro, Patres observandissimi, memineritis epilogi literarum, qvas venerandum ministerium August. Confess. invariatæ in hac urbe, anno superiore IV. Junij, Magnifico D. Præsidi exhibuit. (a) Me verò filii loco habere ne desinite, aut degenerem per rerum testimonia ostendite.

V. V. Magnificent. ac Nobilisf.
Amplit.

7. Maji 1681.

Obseqventissimus cultor,

M. Ernestus König, Gymn. Rect.

II.

Petitio Secunda, pro suscipiendâ legitima causæ cognitione.

DIe XXIX. Maji, præsentibus duobus Collegis meis, Dn. M. Christophoro Hartknoch, & D. Wenceslao Johannide

(a) *Infra sub E. in fin.*

nide, qvos, bonâ cum veniâ D. Præsidis, mecum in ædes ejus vocatus adduxeram, idem D. Præses mihi indicabat, declarationem meam non recitatam solùm a se ipso in Senatu, sed etiam, qvantum ad summam illius pertineret, communicatam cum Ordinibus fuisse. Cæterum illos, precibus suis de abdicatione mei instando, executionem decreti urgere, ac proinde, ad multiplicem Ordinum instantiam & Importunitatem (auf vielfältige Anhaltung und Importunität derer E E. Ordnungen / qvod mecum audiebant nôruntq; Collegæ mei) Nobilisſ. Senatum mihi intimare denuò voluisse, qvod sententiæ latæ deberem parere. Qvo factum est, ut paucis verbis præmisſis, deductionem iniqvæ oppressionis mecum allatam Nobilisſ. D. Præsidi exhiberem. Cujus hæc velut præfatio erat:

VIRI Magnifici, Nobilisſimi Amplisſimiq; Patroni & Domini Colendisſimi,

Futurusne compos sim voti, qvod hasce dictitat, haud eqvidem scio. Cur ambigam, causæ nec nullæ, nec leves sunt. Attamen filio nemo vitio vertit bonus, ubi inter patrem distingvit & dominum, neq; ideo apud infensum tueri verbis innocentiam desinit, qvod semel atq; iterum oleum & operam perdit. Est mihi ea, (ignoscite, Domini, ingenuitati meæ) rectè factorum fiducia, ut pro levi habeam haberi malè à nonnullis. Atq; indignus spartâ Professoriâ sim, si tantum non profecerim in prima adolescentiâ, ut jam sciam qvadragenarius, omni retrò ævo inter spinas natam juxtaq; vitam vixisse probitatem. Cæterùm fama & existimatio honesta nunqvam mihi visa est parva, &, si à felicitate æternâ discessero, bonis, qvæ in mortales cadunt, illam omnibus antepono. Neqve id qvispiam hominum, nisi cui nullus humanitatis

nitatis sensus est, reprehenderit opinor, nedum Vos, Domini. Qvo majori Vos & æqvitate & animo non tam commoneo, qvàm rogo oroq; , præter superiorem declarationem meam, hanc nonnihil valere apud VV. Magnif. sinatis nullitatis, qvam vocant, deductionem, juxtàq; benè reputetis cum animis Vestris, non tam in proclivi judici esse, sententiam illegitimam Orbi cordato, & judicum supremo judici adprobare qvàm pronunciare verbo, addo & adversus reum exeqvi imbecillem. Unum est, qvod obtestari per Vestram fidem, per conscientias vestras, per DEUM, qvi justum judicium ferre Vos jubet, Vos nondum desisto, PATRES & DOMINI: aut me pro filio, vel, si nimium hoc est, pro Rectore Gymnasii habere ne desinite: aut degenerem seu indecorum huic provinciæ per rerum testimonia ostendite. Hanc protestationem si leges damnaverint, agite, qvicqvid lubet, decernite in protestantem.

VV. Magnif. & Nobilisf. Amplit.
observantissimus.

M. Ernestus König, Gymn. Rect.

Scriptum Germanicum, qvod subjiciendum erat, ferè repetitur in Protestatione solenni, qvæ seqvitur sub Lit. D. Neq; lectori dissimulem, me, præterqvam qvod brevitati studeo, vel ideo domi continere apologetica plebejo sermone scripta, ne, qvibus publicè laboratur morbis, innotescat lippis & tonsoribus.

III. Pe-

Petitio Tertia, pro impetranda decenti causæ examine.

Magnifici, Amplisſimiq; Domini, Patroni mei Colendisſimi

PErvenit ad aures meas nuncius ſiniſter, inſtare tempus, ut tertiùm abire à Sparta Profeſſoriâ jubear. Facitq; ut credam, mentio ſcripti qvorundam ſupra fidem in me acerbi, qvam ante hos paucos dies fecit amico Vir Nobiliſſimus. Qvod cum animo meo dum reputo, propè eſt, ut ignorem, qvomodo & invidiæ cedam pertinaci, & meam conſcientiam non onerem. Enimvero qvâm publicæ auctoritati obtemperâſſe honorificum duco, tam mihi cavendum ratio dictitat, ne inconſulto obſeqvio officiam publicè, aut me privatim perdam. Utramq; à me præſtari rerum natura non patitur. Neq; ita cordatos induruiſſe in meum exitium fas eſt, ut proferri à me nolint, qveîs odio me liberem indebito. Certè qvi alia omnia ago, qvàm ut defenſionis offendam ſimplicitate, qvæ cauſæ utiq; non malæ eſt propria. Saltem evitari non poſſe agnoſco, qvò minùs, cum innocentem me profiteor, abdicationis ſententiam non juſtam qverar ac duram. Qvod ſi qvis irreverentiam interpretari adverſus poteſtatem publicam volet, meminiſſe optarim, aliter errores doceri Superiorum, aliter mala conſulta. Non dubitabat ſanctiſſimus olim Doctor, idemq; JCtus celebris, apud Pontifices Romæ Ethnicæ defendere, qvod legem ab illis adverſus Chriſtianos per errorem dixerat latam. *Si lex veſtra erravit, inqvit, puto, ab homine concepta eſt; neq; enim de cœlo delapſa eſt. Miramini, hominem errare*

errare potuisse in lege condenda? Nonne & ipsius Lycurgi Leges à Lacedæmoniis emendatæ? Nonne & vos qvotidie experimentis illuminantibus tenebras antiqvitatis, totam illam veterem & squalentem Sylvam legum novis Principalium rescriptorum & edictorum securibus truncatis ac caditis? a. Qvod ille de Legibus Pontificum, qvidni ego de meâ afflictione sentiam scribamve? Si qvis tamen juris peritissimum Patrem solœcismi convicerit, haud eqvidem timebo cum Ulysse Homerico, *si jam neqveam defendere crimen, cum tanto commune viro.* Pietatem alioqvi superioribus debitam ne temerè, seu verborum licentiâ, seu factis minus verecundis, læderem, legem mihi jam olim inter præcipuas posui, qvam in hanc usq; diem studui observare. Atq; hanc causam habeo, qvam ob rem verbis advocati cujusdam magis, qvàm meis causam dicere in præsens in animum induxi. Nec facilè idoneum magis adduxero, qvàm qvem videtis, Ciceronem illum Christianum, L. Coel. Lactantium, Virum & jurisperitum divini humaniq; & sine amore, sine odio pro me dicturum. Hic est, qvi humanitatis jure me docet postulare, ut non priùs damner, qvàm causa legitimè fuerit cognita. Nam *si Sacrilegis & proditoribus & veneficis potestas defendendi sui datur,* nec prædamnari qvempiam incognita causâ licet; non injustè petere me videri, ut, si qvod peccatum meum est abdicatione dignum, indicetur ante omnia, atq; extra controversiam collocetur, sententia autem differatur in extremum etc. *b.* Ego nihil addo, nisi qvod vestrâ, Domini, & urbis causâ doleo, fas gentium à persecutoribus meis rumpi. Certè B. Apostoli accusatoribus, cum postula-

a. *Tertullian. Apolog. princ. fol. op. m. 813.*
b. *Divin. Institut. lib. V. cap. I.*

ſtularent, ut fictâ qvadam cognitionis ſpecie puniendus Synedrio traderetur Hieroſolymitano, cordatè reſpondisſe Procuratorem paganum legimus. *Non eſt Romanis conſvetudo ad exitium tradere hominem, priusqvam præſentes habeat accuſatores, locumq; defenſionis accipiat ſuper Criminationibus, qvæ ipſi objiciuntur.* Ac tantum qvidem aberat, ut cauſæ dicendæ viam præcluderet mos gentium, ut publicitus etiam damnationis cauſam ſeu tabellæ, qvæ præferebatur, indicio, ſeu Præconis ad minimum voce teſtatam in hunc modum facerent: ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ ΑΤΤΑΛΟΣ Ο ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΣ. (*c*) IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS d. Vos oro qvæſòq; , Patroni Colendiſſimi, integris animis dijudicate, rem injuſtam petam, cum permitti mihi contendo, ut ſervitutis expers ex æqvo agam cum liberis; ut famam meam, conjugem & ſobolem teneram, non deſeram, addo & ſocrui e priori matrimonio, ætatæ ptovectæ, urbis hujus Præ-Cos & Burggrabii Regii Viduæ, officia præſtem; ut pro qvatuordecim annorum laboribus Scholaſticis aut verius ærumnis, ſi non civis oppidani, vel vulgi tribulium, at hominum tamen & communi gentium jure in urbe hac fruar.

VV. Magnif. & Nobiliſſ. Amplit.

obſervantiſs.

M. Erneſtus König, Gymnaſii Thorun. Rector.

Addideram literas ad D. Præſidem ſeqventes.

Vir Magnifice & Nobiliſſime, Domine & Patrone Colendiſſime

QVod hodie Magnif. T. in templo non vidi, faxit DEUS, alia ſit cauſa, qvàm metuo a valetudine. Gaudebo

c. *Euſebius v. Hiſt. Eccleſ. 3.*
d. *Sveton. in vitâ Domit. cap. x.*

debo sanè, si metum hunc vanum fuisse comperero. Qvo minus Magnif. T. officii causâ conveniam, præter causam, qvam significavi, vel dies hæc prohibet, qvâ otio honesto, qvod solum ex tota hebdomade T. M. vix relinqvitur, haud ausim intercedere. Aperient verò M. T. afflictionem meam literæ, qvas vides, ad Nobil. Senatum. Hæ cum liberationem meam sibi propositam habeant unicè, nolim illas scopo huic officere. Cur prævenire voluerim, causa in aprico est. Qvod si nuncius me fefellit, qvia viro gravi est, fortè rectiùs Curiâ abstinebunt. Cæterùm testor fidem meam, parrhesiam non ultrà permitti stylo, qvàm adversariorum iniqvitas aut veriùs incolumitatis meæ cura exposcit. Si tamen justus dolor hac in parte mihi imposuit, penes T. Magnif. esto, qvæ scribo, ad tenebras perpetuas damnare. DEUM oro, ut T. M. qvàm diutissimè sospitet!

Magnif. T.

obsservantiss.

M. E. K.

IV.

Petitio Qvarta, pro mitiganda afflictione.

CUm præcedente cautelâ non acqviescerem, ad ipsum præterea D. Præsidem adibam postridie, priusqvam in consessum Senatûs iret, responsumq; ferebam, nihil pellegenti occurrisse, qvod in deteriorem partem posset rapi, aut augendæ invidiæ foret, sed perinde ac in proximè præcedente scripto (designabatur deductio iniqvitasis) cautionem scribentis agnosci. Tantò facilius adducebar, ut crederem, fore aliqvando veritati, fore innocentiæ meæ locum

locum, adversus inimicorum malevolentiam, qvæ in me opprimendo ferventius satageret qvàm in promovendis negotiis ad summam Ecclesiæ & Politiæ spectantibus; id qvod inter ipsos ordines nonnulli agnoverunt, & Collegis suis exprobrârunt. At verò vix triduum interceſſit, cum D. Præses d. 24. Julii, tertiâ vice in ædes suas vocato significaret, qvod ordines executionem abdicationis urgerent, recitaretq; unà noviſſimi tertii Ordinis scripti ad Senatum particulam, qvæ executionis sententiæ semel in me latæ causas afferret tres: qvod *primò* præjudicio foret auctoritati publicæ, si decretum non haberet comitem individuam executionem; *secundò*, per me damnum passa civitas multorum millium fuisset florenorum (nempe qvod durante officio meo Ordines laudare noluissent contributionem] *Tertiò* Gymnasium per me ruinæ proximum foret, cui succurrendum per novum in Rectoratu successorem. His subjungebatur, qvod mandatum in publico Consessu accepisset, mihi ut indicaret, Nobiliss. Senatum, tametsi de cætero benè mihi cuperet, meorumq; commodorum alias hic loci habere rationem vellet, haud ultra me tueri in functione Scholasticâ posse: supereſſe, ut prospicerem honori meo, dum adhuc res integra, (scilicet!) & ultro officio me abdicarem: qvod si facerem, testimonium honorificum eundem Amplisſ. Senatum mihi polliceri. Hujus argumenti orationem cum conjecturâ haud ægrè præcepisſem, D. Præsidi extemplo offerebam declarationem, qvam domi in vernaculâ composueram, in hanc sententiam.

Me jam ante tres hebdomadas, præsentibus duobus Collegis meis, disertis verbis pollicitum fuisse, qvod, si causæ abdicationis meritoriæ allegatæ, juxtà & probatæ

fuissent documentis legitimis, non officio solummodo cessurus confestim, sed &, qvo Zelo justitiæ cultum prosqverer, istius sententiæ nomine gratias acturus essem flexis genibus. Nunc ubi adversarii mei causas ejusmodi non expressissent huc usq; , neq; exprimere, aut veriùs probare in facto unqvam possent, me injurium in memetipsum fore, Conjugem item ac sobolem, si spartam divinitus mihi impositam temerè desererem : pro scuto & clypeo sumere verba viri sancti Habac. II. 1. Spe non nulla omnino, futurum, ut Amplissimus Magistratus potestatem officii defensioni innocentis, non oppressioni, impenderet, contraq; malevolorum instantiam Brachium S. R. Magist. imploraret, si opus foret, aut me ad illud remitteret, simulq; in oculis haberet prudentissimum C. Taciti monitum : *ut corpora lente augescunt, citò extinguntur : Sic ingenia studiaq; oppresseris facilius, qvàm revocaveris.* 3. Agric.

Cæterùm memor, allegationum tertii Ordinis, qvarum mentionem modò feci, primam vanam, alteram contradictionis manifestam, per l. qvi potest facere 174. D. de divers. Reg. jur. tertiam ponderis ac valoris non esse nullius, si qvantum jure, tantum subniteretur vero : apologiam non multo post novam, qvæ inscripta est Repræsentatio Causarum nutantis Gymnasii, non iolùm D. Præsidi cæterisq; DD. Præ-Coss. ut & duobus ex numero Coss. (cum honoris causâ d. 9. Augusti illos adissem privatim) commendavi, sed & ordinis II & III Senioribus ipse coràm oblatam in manus tradidi, qvo iniqvissimam accusationem rationibus & plurimis, & ab omni exceptione, qvod scio, tutis, confutavi. Adjunxi apologiæ isti scriptum peculiare, & ipsum vernaculum,

submis-

submissionis meæ & venerationis erga Ordines testem, qvo significabam, sperare me, qvod, allatis causis decrementorum rei Scholasticæ maturo judicio pensitatis, æqviores mihi futuri spectabiles Ordines essent, simulqve Scholam cum DEO illis pollicebar florentem, si mecum coinciderent in rem sanctam, opemq; laboranti ferrent *Constanter*, non alio fine, qvàm ut faciliùs malevolos qvosdam mihi propitiarem, tandemq; aliqvando altùm dormirem, idem multo ante facturus, nisi periculosam inde Nobilisſ. Senatûs offensam formidâssem, qvi præter & super hunc Patronos seu qværerem seu agnoscerem. Sed, qvod suprà memoravi, nihil ea humanitate profeci.

D

Protestatio Solennis, de iniqvo remotionis decreto, per Ministerialem Regni interposita, d. 29. Augusti.

ACtum in Civitate Regia Kovalevienſi, coram judicio Civili Scabinali Kovalevienſi, Sabbatho post Festum S. Ægidii proximo, Anno 1681. præsentibus spectabilibus & famatis, Christophoro Falcowicz, Judice, & Jacobo Targowski, Archi-Scabino, juratis.

Ad idem judicium Actaq; præsentia Civilia Scabinalia Kowalevienſia personaliter veniens providus Georgius Postolinski, Ministerialis Regni Generalis, judicio præsenti benè notus (prævia solenni manifestatione, qvoniam acta castrenſia Kowalevienſia Palatinatûs Culmensis vacant) hic obtulit ad acticandum in acta præsentia Civilia Protestationem infra scriptam, nomine Nobiliſs Ernesti Kö-

nig, Rectoris Gymnasii Thorunensis, contra Nobilem & spectabilem Magistratum Thorunens. factam Cujus protestationis tenor sequitur de verbo ad verbum talis:

Coram vobis, Provido Georgio Postolinski Ministeriali Regni Generali, & Nobilibus Paulo Grabowski, & Johanne Kochanowski, compareo Ego M. Ernestus König, Gymnas. Thorun. Rector, protestans super hoc: Qvod Magnif. & Nobilis. Senatus Regiæ Civitatis Thorunensis Domini Patroni mei Colendissimi, postqvam spectabiles hujusdem Civitatis Ordines, Secundus & tertius remotionem mei à Rectoratu Gymnasii, inde à V. Nov. anni proximè elapsi indefessè expetierunt, sextâ tandem Maji, anni præsentis decretam majoris partis suffragiis officii privationem per Magnif. D. præsidem, Andream Baumgarten, Præ-Cos. & nuper Proto Scholarcham, mihi significârunt. Iidem illi Domini Patroni mei, qvi decima qvinta Januarij postulatum illud ordinum insolitum iniqvitatis damnârunt publicè nec meruisse Rectorem Gymnasii, responso peremptorio declararunt Ordinibus, ut illam sive calamitatem ab urbe hac subiret, sive contumeliam: id qvod fama me docuit publica, illos convincet conscientia, aut, si qvi confessui haud interfuerunt Publico, publici docere Commentarii haud dubiè poterunt. Iidem illi Domini Patroni, qvi curam officii Rectoris circa Festum in hac urbe anniversarium tempore nundinarum æstivarum, è publico consessu per Nobilis. D. Scholarcham mihi demandârunt, more solito. Iidem illi Patroni mei, qvi officii benè gesti ac vitæ inculpatæ testimonium ultrò se daturos mihi pollicebantur, voce D. Præsidis, vicesimâ qvartâ Julij. Qvanqvam verò nihil homini facilius innocenti qvàm sententiam Ordinis

judiciarii neſciam, & qvæ nullitatum omnium maxima eſt, nullis cauſæ meritis ſuffultam, iniqvitatis convincere: tantum tamen abfuit, ut Defenſionis modeſtè oppoſitæ haberetur ratio, ut qvartâ heri vice abire à provinciâ publica per D. Simonem Schultz, Regiæ hujus Civitatis Secretarium, juberer. Namq; hic nomine Magnif. & Nobiliſ. Senatus mihi intimavit, eò rem perveniſſe, ut, qvemadmodum ordines Civitatis inde à menſe Novembr. ſuperioris anni abdicationem mei urſiſſent, ideoq; Magnif. D. Præſes mihi indicaſſet, fore, ut a Rectoratûs functione abire neceſſe haberem: ſic non obſtantibus apologeticis meis, qvorum facta Ordinibus copia eſſet, iidem Ordines in propoſito perſtitiſſent, jamq; ORDINUM OMNIUM Decretum ſive Concluſum eſſet, ut non tantum ex hoc die à prælectionibus & cæteris muneris partibus abſtinerem, ſed & præterea ante Feſtum S. Michaëlis Laribus Gymnaſii publicis valedicerem. Hanc cauſam, non meo ſolùm, ſed & cordatorum haud dubiè omnium judicio, juſtiſſimam habeo, qvare per publicum Miniſterium, ac ſolenni adeò ritu adverſus Magnifici Senatûs attentatam, & qvartùm repetitam inhibitionem functionis Divinitus mihi abhinc annis qvatuordecim impoſitæ, in optimâ juris formâ proteſtor, veneratione qvam eidem Amplisſ. Collegio debeo, ſalvâ. Ac ne unam & ſimplicem ſubeſſe proteſtationi cauſam liqveat publicè ſimul coram mundo teſtor ſummatim: qvod ſecundo & tertio Ordinibus nulla in me competit actio inde à perſecutionis meæ initio; qvod modo intendendi actionem uſi ſunt planè illegitimo; addo, legibus proſcripto: qvod actio ſeu petitio, aut flagitatio veriùs Ordinum, nullâ nititur aptâ agendi causâ, qvod libellus actionis

onis in hunc diem non fuit editus reo, ac ne formalia qvidem, actionis fuerunt communicata hucusq; : qvod juramentum calumniæ, spretâ petitione meâ iteratâ, ab Actoribus non fuit præstitum : qvod probatio intentionis allata fuit nulla ; qvippe neq; in jure neq; in facto consistentis : qvod de examine testium, num unqvam illud subierint, & num sine vitio subierint, nihil prorsus mihi innotuit, tametsi ut juratò & legitimè audirentur, vehementer etiam atq; etiam petenti contendentiq; : qvod depositio Testium non fuit hucusq; mihi communicata : qvod in causâ concluſum illegitimè, cum præclusione defensionis mihi ut reo competentis plenissimæ : qvod iidem Domini judices me condemnârunt, qvi à pœnâ remotionis me absolverunt, conscientiæ vulnera causati, qvò minus me damnarent, responso, ut loqvuntur finaliter dato Ordinibus, die qvintâ decimâ Januarij : qvod judices ipsi fassi terq; qvaterq; per Magnif. D. Præsidem Andream Baumgarten, reo sunt, qvod ad instantiam ordinum, & qvia amplius tueri me in officio contra ordines non possent, officio me abdicarent ; velut ad impositionem Ordinum : qvod actores mense tertio post latam sententiam, causam domum abdicationis meritoriam ad Senatum detulerunt ; sed qvæ in facto non magis fundata est, qvam qvatuordecim gravamina nona Decembr. anni superioris mihi communicata ; &, si minùs omnes tres Ordines, certè Amplisſ. Senatum premit gravatq; , me minimè omnium : qvod inde a vicesimâ nonâ Majenixis contendi à Magnif. Senatu precibus ut causæ abdicationis justificæ exprimerentur disertè probarenturq; , pollicitus testatò qvoq; , me, si id factum fuisset, non promptissimè cessurum modò officio, sed &, qvis credet?

ad

ad pedes humillimè provolutum Dn. Præsidis gratias acturum Nobilissimo Senatui esse, nomine administratæ adversus me, pro bono publico, justitiæ: qvod à Patronis meis destitutus, qvi dicerent, qvod tueri me contra Ordines non possent ultrà, ipsis Ordinibus h. e. Actoribus, per D. Confessionarium meum sponte obtuli, ut ipsi me coram audirent & super innocentiâ meâ ex ore meo cognoscerent, illico & officio, & urbe cessuri, si abdicationis meritum apparuisset; & verò repulsam tuli: qvod incusatus demum vicesimâ Julii ab Ordinibus Scripto publico à Magnif. D. Præside mihi recitato, tanqvam per me decrementum caperet res Scholastica, & triginta sex argumentis integritatem meam soli meridiano luce æqvavi, & ipsis adversariis meis Defensionem, qvam repræsentationem Causarum voco nutantis Gymnasii, ipse in manum tradidi, citra famuli ministerium, cum libello propemodum supplici; sed non alio successu fructuq; qvam ut scriptum utrumq; domum mihi remitteretur, addito Laconismo, noluisse id recipere Ordines, famaq; paulò pòst adjiceret: serò istas literas à Rectore missas ad Ordines esse: qvod qvartâ vice mihi intimatur abdicatio ac peremptoria, nec ulla abdicationis causa sententiæ tam duræ & tot nominibus illegali adjicitur; qvia investigari hucusq; communi Ordinum studio non potuit: qvod præter & contra consvetudinem herorum non asperorum, cum famulos dimittunt, aut ædibus expellunt domesticos, summa qvingentorum & amplius Imperialium à multis mihi annis debitorum Vocationis titulo, nec persolvitur ante injunctum toties abitum à Spartâ publicâ, nec digna censetur, cujus vel minima fiat mentio, ut persolvendæ propediem; tanqvam parum sit officio exuisse Professorem veteranum, & fa-

mam conculcâsse meam, nisi qvingenti etiam pœnæ nomine mihi auferantur Imperiales : qvod scripti Ordinum in me acerbi supra fidem, teste Viro in Senatu primario, ideoq; voce supplici à me petiti, refutationis causâ, in hanc horam usq; copia negata est : Qvod non amplius Senatus Magnif. sed omnes Ordines, h. e. ACTORES qvoq; ipsi Decretum ad ultimum tulerunt, adversus innocentem, qvem Thorunium venientem Illustriss. Senatus Regiminis in Pomerania Regii, itemq; venerandum par Collegiorum Ministerii Ecclesiastici Stetinensis & Professorum Illustris Gymnasii Testimoniis ornarunt honorificis; actores verò labis neq; in officio, neq; extra officium ullius, qvæ digna remotionis contumeliâ foret, hucusq; convicerunt, ac ne convincere qvidem seriò ausi sunt : qvod deniq; vix qvatuor hebdomadum spatium plus nimio angustum decernitur pro emigratione è claustro, qvod officii nomine habito, inde ab anno 1667. Qvæ omnia & plura his similia lectoribus ex actis fuerunt liqvidissima. Proinde Te providum Ministerialem Regni Georgium Postolinski, Vosq; Nobiles, Paulum Grabowski, & Joannem Kochanowski rogo oroq;, ut protestatio hæc ad Nobilissimum Urbis Senatum, vigore officii, qvod geritis, publici, perferatur, juxtaq; loci instituta & consvetudinem ad acta referenda curetur, ac instrumenti insuper qvam primum super eâ confecti copia mihi, justi sub pactione honorarii fiat. Mihi verò reservo facultatem huic protestationi addendi, & qvicqvid præterea necessarium fuerit, faciendi secundum jura. Thorunii d. 29. Augusti, Anno MDCLXXXI. M. Ernestus **König** / Thorun : Gymnas. Rector.

Ex actis Civilibus Scabin. Kovalevienſ. ltmè. extraxit.

L. S.

Christophorus Falkowic judex juratus mpp.

E De-

Depulsio Criminationum in programmate exauctorationis allatarum.

RECtoratum mihi nuper abrogaverant malevoli, compendio litis qvàm inusitato orbi meliori, tam iniqvo & irrationabili: si, non existente rei conventi injustitiâ summâ, & in facto manifestâ, exceptiones ab hoc allegatas idoneas rejicere est JUSTAM DEFENSIONEM DENEGARE. Mev. VII. Decis. 56. & Justitiam nolle administrare. Schneidewin. Comment. Inst. de Oblig. qvæ ex qvasi delict. n. 11. Reliqvum erat, ut criminationum indebitarum fuligine deturparetur agnita mea tot annis integritas, causæq; abdicationis meæ vulgarentur, judicio Ordinum Omnium urgentes & gravissimæ, ubi paulò antè Nobilisf. Senatus per D. Præsidem, testimonium mihi honorificum doctrinæ vitæq; ultro offerebat, decretiq; in me lati non aliam causam indicaverat qvàm Ordinum instantiam atq; importunitatem. An pietati meæ erga Patronos, operisqve, qvas rei Scholasticæ præstiti, tam me acerbè & asperè tractari, conveniat, viderit auctor infesti programmatis. Cujus in me triplex post latam sententiam nunc tandem postulatio: impeditæ reductionis Gymnasii ad statum pristinum; posthabitæ mansvetudinis Evangelicæ; deniq;, ne pondus noxæ atq; atrocitas desit, turbatæ pacis urbicæ: qvod omnium conviciorum Summam, & scelerum qvasi complementum haberi solet. Horum immanitate delictorum excesseram crimina, qvibus dari judices possent; ut Proconsul ille ap. Plinium 11. Epist. 11. Primùm atroci vituperio incesfor, qvod adversatus fuerim Ordinationi Gymnasii huic tempori consentaneæ, bono ju-

ventutis ſtudioſæ, ſecundum norman illam, qvâ in benè conſtitutâ Republ. gloria DEI omnipotentis juxtaq; ſalus politiæ promovetur, verbo, reductioni Scholæ ad ſtatum priſtinum. Rectè illud ſecundum præceptum Rhetorum, qvi fortiſſimum argumentum collocari in principio jubent. Cui ut occurram ſtatim, planumq; lectoribus faciam, plus fuci & coloris qvàm roboris habere, qvod imperitis pro inſigniter gravi ac invincibili poſſit venditari, reqvirere ex Viris legum & rerum gerendarum peritis operæ pretium fuerit, an, qvoties partem aliqvam reipubl. curatione indigentem ſive ex bona efficere meliorem, ſive, qvæ emendandi ratio cenſetur magnis Politicis optima, ad prima ſua principia ſtudent revocare Civitatum Rectores eâ, inclementiâ utantur in miniſtros, qvêis partis illius curas præcipuas demandârunt, ut neq; ex illis cognoſcant, qvibus potiſſimùm morbis laboret pars Reipubl. credita, neq;, ſi aliunde innotuerint, aut Viſitatorum graviſſimorum opera ſint explorati, corruptelas agnitas ob oculos ponant vicariis qvaſi regentibus, ac rationem emendandi, qvam ſtatuant optimam certiſſimamq; ab his depoſcant, ſed planè illis præteritis, non tantùm ex judicio extraneorum de correctione ſtatuant, ſed & curatores, qvos dixi, proprios demandato miniſterio inauditos exuant, non dicam, cauſam amotionis interſerant, qvod deſtinatæ emendationi adverſati fuerint? Mihi qvò minùs rigorem ſuſpicer tantum præter rationes civiles & legales, vel ſola obſtat hiſtoria. Saltem hîc parum eſt, de Scholæ morbis credi illis, qvi nullas hoc genus vigilias vigilarunt, meam verò & collegarum minùs reqviri ſententiam qvàm fabrorũ aliorumq; opificum, qvos in his, qvæ ad opificium ac profeſſionem illorum ſpectant, præ agricolis & militibus audiri â judicibus

dicibus ſuper talibus, ratio & ſenſus communis jubet; parum abeſt, inqvam, meam non reqviri ſententiam, circa reſtaurationem rei Scholaſticæ, niſi amotioni qvoq; ab officio Scholaſtica iniqvæ iniqviùs præferatur cauſa, qvod emendationi Gymnaſii ſim adverſatus. Qvod ipſum qvid ſibi velit, & qvâ in parte ego Gymnaſii emendationi repugnaverim, diſpeream, ſi cogitando aſſeqvor, qvo acqvieſcam, qvantumlibet advocato ingenio. Ex qvo enim primùm reſponderi ad XIV. Ordinum gravamina, deinde rationes reddi propoſiti programmatis Amplisſ. Senatus voluit, tum dictorum gravaminum falſitatem functionisq; meæ integritatem argumentis ſolidis ad oculum demonſtravi, tum programmatis illius competentiam ſic expoſui, ut dubitari vix poſſet, qvin defenſionis jure permiſſæ uſus fuiſſem remedio. Pariter noviſſimam accuſationem, cujus privatim ac velut obiter me conſcium faciebat Nobiliſſ. Præſes, tanqvam à me pateretur ruinam Gymnaſium, ſolidisſimè refellit, ni fallor, repræſentatio cauſarum nutantis Gymnaſii, * ut proinde, qvo valeat incuſatio ſub Amplisſ. Senatûs nomine vulgata, qvosq; miniſterii mei ſoloecismos deſignet aut innuat ſolertia autoris, cum Gymnaſii reductioni ad ſtatum priſtinum me intercesſiſſe dicit, conjectare prorſus neqveam. Multò minus proceſſum illum judiciarium capio, qvo publico miniſterio exuor, causâ exuendi principe, qvæ vulgatur, non ſolùm cognitioni judiciali non ſubjectâ, nedum probatâ judici-

* Cum literis ad II. & III. Ordinem, qvibus ſignificabam, non aliam conditionem Scholæ qvàm agri & prædii eſſe; nec meſſem Oeconomo gracilem imputari à domino, ſi fundū, non inſtructum colendum accepiſſet, aut ſine poteſtate Oeconomicâ: nec reqviri à Rectore Scholam florentem poſſe. ſi inſtrumentis pleriſq; omnibus deſtitueretur hujus fundi culturæ neceſſariis.

aliter, sed ne qvidem à judicibus, mihi enixè petenti speciatim intimatæ. Non minùs enim exilio damnari poteram, si causas, qvas arriperent, qvas fingerent infensi, infirmassem omnes. Cæterùm, qvo magis lectori notescat mea innocentia, & programmatis iniqvitas, pro meo captu dixerim, nihil aliud hoc indicare, cum mentionem injicit reformationis Gymnasii, qvàm qvod huc eat Nobilisſ. Senatûs providentia: ut Gymnasium hoc habeat Magistros, nec prudentiæ infirmitate, nec inscitia literarum, juventuti fastidiendos, ut virtute, sic numero pares Gymnasii Scholastici corpori; ad qvod, ut sartum tectum maneat, nemo intelligens dubitaverit, qvin, qvantum ad Superiores tres classes attinet, non trium duntaxat aut qvatuor, sed septem ad minimum Virorum munia concurrere debeant, à singulis non assiduè solùm ac fideliter, sed & dextrè, nec sine auctoritate aliqvâ obeunda. Ut iidem verâ pietate ac honestis moribus, simulq; doctrinâ salubri juventutem accuratè imbuant, sine ambagibus ac temporis dispendio, lingvis tribus ante omnia, deinde Logicâ, Rhetoricâ, Poësi, Historiâ, tum præceptis Mathematum, Philosophiæ Theoricæ, ac præcipuè practicæ, deniq; Theologiæ, & fortasse etiam jurisprudentiæ, qvatenus traditur in qvatuor Institutionũ Imperial. libris: verbo; eruditione verâ & publicè privatimq; utili. Ut sine intersti-
tione vigeant prælectiones publicæ, metaphrasium & versionum Sermonis Latini, Græci, soluti, ligati, declamationũ Disputationum aliarumq; tractationum Logicarum & Rhetoricar. Gymnasmata; juxta illud infallibile non simulatæ didactices præceptum, qvod elenchis Exercitationum semestrium præscripsi: ἡ ἄσκησις τὸ πᾶν. Ut prælectionum Exercitationumq; justa servetur penes docentes proportio

portio, qvò minùs mole operarum obruantur alii, alii ferias in professione suâ naturâ laboriosâ & ærumnosâ agant. Ut ordini ac pædiæ semel introductæ maturo judicio constantissimè inhæreatur. Ut conversatio docentium mutua sit amica, & humanitatis plena, procul obtrectationibus, odiis & simultatibus. Ut Classes qvælibet discipulos habeant idoneos, neu locationes & translocationes, ut sæpè fit, officiant discentium profectibus. Ut honestis sustentationis mediis & adminiculis gaudeant adolescentes è vicinià & locis exteris. Ut deniq; disciplinâ, qvod caput rei est, cœtus Scholasticus regatur nec rigidâ nimis, nec laxâ, sed moderatâ & paternâ. Hæc enim omnia legibus & institutis hujus Gymnasii, ejusdemq; statui pristino, qvem redditum ei primo qvinqvennio mei Rectoratûs Nobil. Senatus lætus agnovit, haud dubiè congruunt. Qvem qvidem statum Scholæ reducturi, an in perpetuum abrogaturi sint, qvorum hæc cura est, certum non habeo; qvi totis qvatuordecim annis alternâsse multorum judicia memini, nunc damnantium Gymnasium, & in ludum illud trivialem transformari volentium, nunc, hujus æstimata vilitate, qvæ vetet inter alia, ne lucrum redundet ad incolas, per freqventiam adolescentum Nobilium & divitum, Gymnasii titulum, etiam Academici, præferentium, disciplinæ severitatem increpantium, meq; Rectoratu exuentium, qvod pœnam custodiæ primæ Classis discipulo dictito, qvamvis non exeqvor. Enimvero ex hoc principioinsidiæ & minæ Sempronii, tandemq; plurium in me impetus ac persecutio. Nolim jam cum JCto opponere programmati, qvod finis cum qvaq; re convertibilis sit, &, illum qvi habet, hanc qvoq; habere intelligatur: illud solummodo scire velim, numqvis mortalium

affirmare

affirmare ex animi sententiâ, ac certâ adeò scientiâ sustineat, vel minimum eorum à me, inde à ministerij mei initio, usqve in hoc tempus, admissum esse, unde non dicam, demonstrare, sed conjectare, sed suspicari possit intelligens commodis Scholæ ac reqvisitis qvæ dixi, me repugnâsse, non modis omnibus, commodis posthabitis propriis, iis invigilâsse, incommoda & decrementa ejus pro virili avertisse atqve adprima adeo principia pleraqve studuisse revocare. Qvod à me factum religiosè fuisse, DEUM hominesq; testor. Et, si mihi licuerit candidatos veteris Romæ imitari, qvibus in publico pro se ipsis dicere, vitamq; suam explicare necessarium erat, ac plus proderat qvàm preces: bonâ fide affirmato', me, qvod à Professoribus reqvirit Modestinus 6. D. de Excus. circa operationem me negligenter non habuisse, & labores sic dispensasse meas, ut legibus præscriptis finiq; officii satisfacerent. Cum Collegiis eâ, qvâpar est, vixisse concordiâ, fide, & simplicitate. Sicut parens liberorum, & magistratus suorum Civium; ita æqvalem discipulorum meorum gessisse curam, nullo discrimine divitum & egenorum; ideo inspectioni qvoqve & institutioni Classium inferiorum, à secundâ ad decimam usqve vacâsse, qvoad per operas in superioribus ordinibus mihi licuit. Doctrinam proposuisse antiqvam & probam, juventutiq; imprimis utilem, posthabitis speciosis nugis vanisq; & ineptis disciplinæ umbraticæ argutiis: ne occinentem audirem Petronium Arbitrum; *adolescentulos in Scholis stultissimos fieri, qvia nihil ex iis, qvæ in usu habemus, aut audiunt aut vident.* Perspicuitati studuisse sedulò, nec altos nimis & obscuros feciſſe qvæstionum sinus, ut Aul. Gellius ait, sed primitias ut plurimum, & qvasi libamenta artium ingenuarum, dedisse teneris animis. Dictitationibus

Dictitationibus, qvibus per octo ad minimum annos tantum non penitus abstinui, enarrationes haud produxisse disciplinarum. Toto trimestri, ne horam qvidem unicam temerè neglexisse, grandi mulctâ à me ipso mihi definitâ publicè, si contrà facerem. Lectiones duplo plures, & subinde qvadruplo, mihi ultro imposuisse, qvàm habuêre beati antecessores, nullo augmento Salarij, bonæ tantùm pretio conscientiæ ductum: qvi partim paucitatem Collegarum respicerem, partim ne aliorum alacritatem in langvorem verteret operarum pluralitas, vellem prohibere. Disputationes per multos annos habuisse non alternis solùm hebdomadibus, sed etiam sæpenumero singulis, nec abstinuisse à solemnibus, qvoties fuerunt Respondentes, qvi Typographo Thesium imprimendarum nomine mercedem possent persolvere: honorarium enim, qvod Præsidi offerri solet, plerisqve ultro remisi, à sordibus atqve avaritiâ tam alienus, qvàm qvi alienissimus: qvod notum omnibus esse, opinor, qvi me nôrunt. Ante omnia summis enisum viribus fuisse, ut declamationum, ut trium lingvarum, præter Polonicam, vigeret in Gymnasio Thorunensi studium, hasq; qvo minùs operam formidarent aut despicerent Collegæ mei, me ipsum docuisse: Ebræam qvidem inde ab anno M. DC. LXVII. Latinam verò & Græcam per triennium, cum emendatione hebdomadalium Metaphrasium laboris & tædii plenissimâ: qvod loqvuntur Elenchi typis excusi. Præter Catecheticas institutiones, Philosophiam Organicam, item Practicam, &, demptâ Mathesi ac Physica, Theoreticam, ut & Institutiones insuper D. Justiniani juventuti sic enarrâsse, ut ultra octimestre spatium singulis vix insumerem, exceptâ Politicâ, plusq; fortassis utilitatis auditoribus non ignavis & stupidis à me afferretur, qvàm prædicare meus

pudor mihi permittat. Detiq;, ut undiqvaqve Gymnasii incrementa qværerem, operam dedisse, ut, qvatenus declamationum publicarum Exercitia desiderabant applausum, actio Theatralis vigorem & gratiam adderet Musis Thorunensibus: qvæ summo Angliæ Cancellario, Francisco Bacono, Judice, memoriam roborat, vocis & pronunciationis tonum atqve efficaciam temperat, vultum & gestum ad decorum componit etc. VI. de augm. scient. Imò non solùm operâ mea hoc genus Exercitii promovisse, sed &, cum locus à DD. Superioribus in perpetuum huic assignatus intra Gymnasii parietes foret, Theatrum meis sumptibus extruxisse, nec prius exercere juventutem honestis ac gravibus dramatibus desiisse qvàm displiceret hoc studium, & reprehenderetur sicut alia; satis Comœdiarum in publico Thorunii haberi, dicentibus artium optimarum osoribus; amoliendum potiùs Theatrum esse: id qvod, me ejecto, anno superiori qvoqve factum est. Disciplinam verò, qvam basin & lapidem velut angularem bonæ institutionis esse, nemo cordatus negaverit, qvàm temperatè exercuerim ac patriè, ne vel severitatis nimius vel lenitatis dicerer meritò, operosa & pariter ac tædii plena res foret, hîc commemorâsse. Et discipulis & parentibus hanc omnibus probari difficillimum est, ut nunc sunt mores. Qvanqvam affirmare audeo, in mille & amplius discipulis, ultra verba vultumq;, vix tricesimum severitatem meam expertum, & adultiores custodia duntaxat Scholasticâ, aut palmæ percussione fuisse coërcitos: ut multò pauciores essent, qvi asperitatem meam qvererentur, qvàm qvi prædicarent benignitatem. Sed laudari hoc nomine haud cupidè elaboravi, qvi satis haberem, si non deessent viri prudentes, qvi verbis ferè Fab. Maximi mihi in aurem, qvasi dicerent: *Malumus Te adolescen-*

adoleſcentes malèferiati improbiq; metuant, qvàm ſtulti parentes laudent. Et qvatenus ſeveritatis nomine in Curiâ vapulo, ad nauſeam defunctus labore defenſionis ſum, in reſponſione vernaculâ uberrimâ, ad XIV. Ordinum Gravamina, cap. 1. & X. Jam, ne cui dubium ſit, poteſtate magis an exemplo rexerim diciplinam, haud qvenqvam futurum bonorum arbitror, qvi alios mores fuiſſe mihi contendat, qvàm qvos juventuti præcipere debui, qvò minus viam huic ubiq; ſedulo & religiosè præiverim, aut vilia unqvam habuerim, qvæ pietatis, probitatis atqve humanitatis ſunt. Sicut nec diffitebor, ſemper mihi pulchrius viſum fuiſſe vitæ innocentiâ præſtare, qvàm rerum multarum ſcientiâ. Verùm adduci non poſſum, ut credam, Gymnaſii reductioni ad ſtatum priſtinum me interceſſiſſe, multò minùs id ſeriò dici à viris gravibus, ſi vel maximè meæ metu Severitatis magis qvàm hoſpitiorum liberalium inopiâ, paucitate docentium, victûs caritate &c. minùs freqventem juventutem peregrinam aliqvot annis habuit Gymnaſium. Nam, præterqvam qvod qvantitatis nulla eſt efficacia; idemq; procul dubio ſentiunt prudentes omnes, qvod olim, Celſiſſimum Pomeraniæ Ducem, Johannem Fridericum, Principem in omnes Reipubl. partes intentum, ſi qvispiam, ſcripſiſſe memini, ex actis Patriæ meæ publicis; ſe malle Academiam ſuam habere qvinqvaginta ſtudioſos frugi, qvàm immenſam inertium ac diſſolutorum hominum turbam: minimè fugit Ampliſſ. Senatum, qvo tempore, ſub Protoſcholarchatu B. Georgii Czimmermanni, diſciplinam mihi severè licuit regere, ſalvâ autoritate, meo officio debitâ, præter vicinam Pruſſiæ, Poloniæ & Sileſiæ juventutem, ex remotioribus qvoq; locis confluxum vidiſſe lectiſſimorum adoleſcentum hoc Gymnaſium, nec ceſſiſſe numero diſcentium

scentium assiduitatem auscultationum & Exercitationum omnigenarum, qvæ Scholæ benè constitutæ conveniunt. Et sicut non aliam ob causam parentes providi ac pii liberos suos miserant Thorunium, qvàm qvod scirent, constare Gymnasio Severitatem & pudorem, ideoq; profectum in literis ac moribus: sic Amplisſ. Senatus, interprete laudato Proto-Scholarchâ, eodemq; Burggrabio Regio, in præsentiâ hodierni Burggrabii, Viri Magnifici Dn. Andr. Baumgarten, anno M. DC. LXVIII. peculiari in conventu mihi & Collegis meis indicto, Scholæ vigorem ac decus restitutum lætus recognovit, nec aliud à nobis requisivit, qvàm ut bono cum DEO, perseveraremus in illo benè de Scholâ merendi proposito conatuq;. Pro tali restitutione rei Scholasticæ totq; superatis adversitatibus & molestiis, si præmia benè operantibus contulissent Ordines, aut saltem amâssent eos, & in pretio esse non nullo fivissent, haud illud abs re, nec sine exemplo fecissent inclytarum urbium. Verumenim vero, ut lite motâ Medicinæ Doctoribus, concluso, nescio qvo, publicis congressibus excludebamur, libidinosè adempto mihi & Collegis proximis honore prædecessoribus nostris habito, idqve scientibus nostris Patronis & permittentibus, infaustumq; præterea carmen meis & Collegæ optimi Con-R. occinebatur auribus, fore, ut annuis nostris stipendiis, qvæ jam antè, tardè persolvebantur, nec sine crebris compellationibus precibusq;, detraheretur pars in posterum tertia: sic satis utiq; constat, in medio optimorum studiorum cursu, ipsos conatus honestos docentibus obtrectationi fuisse, cum non deessent, qvi novis Gymnasii incrementis offenderentur, &, dum qvod carperent jure, non haberent, vocem illam emittere non dubitaret qvorundam hominum scævitas & invidentia: Academiam

nunc

nunc ex Gymnasio fieri; peregrinos erudiri, pueros suos in classibus inferioribus non doceri: siniſtra qvadam persvasione, tanqvam eo fine Thorunium vocati fuissent Rector & Con-R. ut primis Elementis Latinitatis pueros imbuerent lectionibus ordinariis, nec infra Gymnasii Professores foret, qvod ad Præceptores Classicos pertineret. Qvam sortem qveſta Schola est publicè jam anno 1672. in exeqviis Proto-Scholarchæ de Gymnasio præclarè meriti. Namqve ex illo tempore in deterius res data Scholastica est, ac ipsa adeò virtus & gloria Musarum Thorunensium velociùt qvàm ascenderat, retro se tulit: Triſti documento, parum proficere ad beatitudinem Civitatis, si jaceat hæc non servet felicitatis suæ fundamenta, die plus destruens unâ, qvàm annis decem restauret. Non libet enumerare defectus omnes, qvi Scholam ex illo tempore desertam, qvi laude priſtinâ orbatam esse, qvotidie ob oculos ponunt ponentq́; imò qvi neglecti funditus eam trahent. Saltem bonorum neminem tam fore iniqvum, scio, qvi meum probrum faciat, qvod ob stipendiorum inopiam, Professores qvinq́; amisit Gymnasium intra triennium, ne Doctore qvidem Medico, urbis hujus Physico ordinario, retento, & Ecclesiaste, qvorum salarium trimestre non excedebat Imperiales Octo. Qvod sicut Professorem Ordinarium unum inveniebam, cum anno 1667. Thorunium venirem; sic pro septem & amplius, qvos qvondam habuit (etiam cum nondum instítutus esset supremus Ordo, anno superioris nempe seculi sexagemo octavo) tres vidit Schola, inde ab anno M.DC. LXXIII; qveis supremum ordinem, primam & secundam Classem docere & exercere incubuit; adeò ut viginti non rarò horis prælegere ego publicè per septimanam necesse habuerim, non sine vigoris ac valetudinis meæ detrimento periculoq́;

riculoq;. Qvod honos, ſpiritus bonarum artium vitalis, ut laboribus Profeſſoriis, ita ſpeciminibus ſtudioſorũ adoleſcentum habitus fuit propè nullus, exercitiis declamatoriis & diſputatoriis carentibus applauſu, ac velut Theatro, nec inventis in urbe hominibus, qvi aliqvâ benignitate freqventarent auditoria, imò vix qvinq; qvatuor aut tribus ex tanto numero invitatorum ad audiendum accedentibus, qvod B. Dominum Seniorem qvoq; Solemnes diſputationes habentem expertum eſſe, & vidi, & doluí. Qvod Elenchi publicarum exercitationum ſemeſtres, unicum ferè plerisq; ingeniis Thorunii incitamentum ac calcar induſtriæ, anno M. DC. LXXII. abrogati fuerunt decreto publico, privato unius hominis bono, me fruſtra diſsvadente ac deprecante: unde nec pœnas ultrà ignavia nec præmia virtus habuit. Qvod multis continuò annis publicam opem, qvam à ſuperioribus enixè petii, Gymnaſium deſideravit, dum rarò qvispiam è Curiâ in Claustra Scholæ deſcendit, qvi res Muſarum viſeret: tanqvam his ſatis foret proſpectum, ſi ſtatis horis in ſingulis claſſibus doceretur. Qvod menſæ communis beneficium, unde alumnis ſenis ſuſtentatio ad tempus tolerabilis & parte majore liberalis erat, clauſum fuit pauperibus abhinc undecennium, ſine ſpe reſtitutionis, aut certe durationis, ſi contingat, ultra annum aut biennium. Qvod hoſpitiorum liberalium inopia, ob commerciorum detrimenta, jam à multis annis fuit inuſitata pretiumq; convictûs gravius in uſu Thorunio, qvàm multis Germaniæ Academiis. Qvod ſupra alia qveîs hebetari & contundi docentium animos neceſſe erat, autoritas ac poteſtas deniq; his debita, per illos ipſos fuit diminutionem paſſa in dies magis, qvos tueri eam inprimis decebat; ſicut ultrò fatebatur Nobiliſſ. Præſes, A. B. cum, qverente me die XXVIII. April.

April. M. DC. LXXXI. præsentibus duobus Collegis meis, de excessu qvodam, his iisdem verbis, *à nobis malum!* incusaret superiores; citra ironiam aut urbanitatem, meo judicio. Inde, ut malè sustinet regimen, qvalecunq; id sit, prudentia, sine justitiæ auxilio, metu & qvasi nervo, reverentia LL. Scholasticarum abiit paulatim in contemptum, tantumq; decessit discentium verecundiæ, qvantum docentium demptum fuit autoritati: Ut appareret, omnem bonum ordinem paulatim solvi, turbari & in contrarium verti. Nec qvicqvam profeci, opponendo jam dudum apud Amplisf. Magistratum judicium magni Politici: qvi, *ad imperii*, scribit, *vim pertinet, ut superior contra inferiorem nihil temerè & qvod ad auctoritatem ejus imminuendam facit, decernat; velut, qvo contempto, superiori tandem instrumenti sui nervus, & boni ordinis compages infirmabitur.* Mevius VII. Decis. 306. Ut haud mirum esse debeat, si Schola qvoq; fidem adstruxerit Sophocleo oraculo: *Non ulla major pestis imparentia est. Hæc & domos evertit & claras diu prosternit urbes:* Ordines turpi fugâ conturbat. In summa: Cum tria sint, qvæ cum lyrâ & organo Musico communia habet corpus Scholasticum: partium sufficiens adparatus, harundem justa compositio, ac pulsus deniqve musicus: morbo qvodam urbis publico, utinam non insanabili! accidit, ut multis continuò annis Schola desideraret hæc omnia, hoc est, meâ unius invidiâ intra & extra Scholam peccaretur à pluribus. Veruntamen nunqvam factum est, ut superiores, sive singuli, sive universi, culpæ me coràm, aut ipsi, aut per internuncios arguerent unqvam, ex qvo Gymnasii regimen mihi demandârunt. Pasus sum procul dubio manes meos: ut nemo extitit mortalium, cujus rectum propositum nullo errorum confinio læderetur. Sed admonitus privatim

tim vel publicè fuisſem ſine dubio, ſi in his, qvæ mei officii, à viâ evagarer. An enim credibile eſt, adeò curam rei Scholaſticæ depoſuiſſe omnem Civitatis Ordines tres, ut, ſi qvid ea detrimenti cepiſſet, meâ qvacunq; culpâ, totis qvatuordecim annis connivendo peſſum ire Scholam paterentur, in gratiam unius hominis, ejusq; extranei & peregrini, nec per Scholarchas ad minimum id indicari juberent, defectus, qveîs meo laborarat vitio, ob oculos mihi ponerent, meq; bis vel ter admonendum curarent, ut illis mature occurrerem, alioqvin remotionis pœnam ſubiturus; Ipſe etiam toties admonendi me & corrigendi occaſionem ſuppeditavi, qvotiens inſpiciendis ac emendandis defectibus conventus Scholaſticos à DD. Scholarchis petii: qvos qvidem formidari mihi, ideo declinari neceſſe erat, ſi ſpartæ parum ornatæ mihi conſcius forem. Accedit, qvod, ubi, de minuendo annuo meo ſtipendio, tot clamores à multis annis excitati & publice & privatim ſunt à malevolis, aut publicam illi inopiam, aut meam privatim abundantiam, poſtulati cauſam interſeruerunt, nunqvam meam in Scholaſtico, officio labem: niſi qvod Sempronius qvidam nuper decurrere ad ſtrophan iſtam non dubitavit, qvod extraneæ juventuti magis qvam Thorunenſis emolumentis proſpicerem. Aut ego nihil intelligo, aut manu palpare qvivis poteſt, nihil in me repertum, qvod damnaret Nobiliſſ. Senatus, qvod ægrè ferrent Ampliſſ. Scholarchæ: qvi per LL. Scholaſticas jubentur una cum Rectore & Viſitatoribus ſic curam gerere commodorum Gymnaſii, ut coram ſeveriſſimo tribunali JESU CHRISTI aliqvando ſibi rationes meminerint reddendas. Cujus obligationis, aut tremendi veriùs fulminis memoriam ego verbis in vulgari lingvâ prælectis, in publico auditorio renovare conſveveram, cum novis

Viſita-

Visitatoribus (sic vocantur in LL. Rectoris Collegæ superiores ordinarii) Cathedram primùm solemni ceremoniâ aperirem. Qvod si ne hoc qvidem refellendæ iniqvæ criminationi satis est, illud certè fidem in officio à me præstitam Viris bonis haud esse dubiam sinet, qvod, sicut novissimè IX. August. M. DC. LXXXII. causas detrimentorum rei Scholasticæ sic ob oculos posui Senatui & Ordinibus cæteris, ut dubitari non posset lectori candido, qvin labes publica ad alia transferretur vocabula: ita sæpius & Scholarchis & Senatui, ut & secundo tertioq; Ordinibus, partim voce, partim calamo, partim privatim ut singulis, partim publicè ut universis, detrimenta Scholastica qvestus sum. Certè Amplisſ. Senatum inde ab anno 1670. sæpius qvàm credi possit, inprimis anno 1673. pridiè Dominicæ Reminiscere, amplo volumine morborum Gymnasii, ex officii religione, reverenter commonefeci. Ac ne dubitari posset, qvin utilitati Scholæ amicior essem qvam privatæ ambitioni & commoditati, aliqvotiens DD. Scholarchis significavi, qvod, qvi primæ Cl. juventutem, non minùs qvàm supremum Ordinem docui prælectionibus ordinariis, in secunda etiam Classe, qvam ego Cor Gymnasii consvevi appellare, non recusarem docere, & fundamenta Latinæ Lingvæ ei tradere, si forent, qvi in supremo ordine & primâ Cl. prælectionum à me deficientium aliqvot hiatum qvasi explerent. Superest, æqvis lectoribus permittam arbitrium, num tam pernitiosè meruerim Thorunii de Scholâ, ut in me Competat probrum, qvod in programmate tam adseveratè mihi objectatur, qvod reductioni Gymnasii ad statum pristinum adversatus fuerim? Num qva lex, num qva æqvitas permittat, ut officio Scholastico, ideo præ alii privilegiato, ad instantiam & importunitatem malevolorum,

exuar: qvi, ut summatim rem complectar, totis XIV. annis non admoneor, qvâ parte per me detrimentum capiat Gymnasium; interim, qvæ fidelis ministri sunt, ago; ultra ea, qvæ per vocationem injuncta & concessa, partes mihi nullas arrogo; rationes a me gestorum, cum jubeor, planè ac plenè reddo; falsitatem narratorum, per qvæ superioribus imponitur sincerè & modestè aperio; qvid rei Scholasticæ expediat, qvid noceat, coram Senatu & Scholarchis ingenuè dico, neqve aliena a dictis facio; inprimis verò ostendo, qvod in re Scholastica non progredi sit regredi. Verbo: qvi Scholæ statum pristinum, qvantum in me fuit, non solùm reducere, sed reductum etiam tueri ac conservare totis viribus laboravi: ut mihi omne in Scholâ negotium, omnis in publicis studiis cura fuit Qvæ & similia coactus a meis persecutoribus scribo, haud ignarus, qvàm de se disserentis alioqvi sit molesta oratio, ac verius stulta, judicio B. Apostoli II. Corinth. XII. 11. Cæterùm qvantopere a vero abhorreat, qvod Scholæ ego restaurationi repugnaverim, sole meridiano clarius elucet ex XIV. gravaminibus. Qvippe, dum magno id conatu agunt mei inimici, ut sparta mihi Scholastica abrogetur, ideoq; solicitâ admodum diligentiâ conqvirunt, qvod meam integritatem oneret, aut suspectum qvodammodo faciat, nemo est, qvi vel morum probitatem, vel doctrinam, vel solertiam & industriam, vel dicendi interpretandiq; facultatem, vel, qvæ minimè postrema censenda est, auctoritatem apud cœtum Scholasticum in me desiderari contendat. Summa ineptæ postulationis in hoc recidit: qvod sordidè Rectoratum geram; grav. 2. 3. 8. 14. qvod prælectionum mutatione, prolixitate atq; incompetentia juventuti officiam; grav. 11. 12. qvod disciplinam severius justo exerceam; grav. 1. 7. 10. 13. qvod Gymnasii

ædifi-

ædificium ruinæ periculo exponam; grav. 9. Qvæ qvidem sicut pleraqve inania ac propemodum putida sunt; ita falsa esse ad unum omnia ad oculum demonstravit mea responsio, ut & reliqva tria gravamina 4. 5. 6. non dicam, qvalia. Ut planè non intelligam, qvâ æqvitate repugnâsse arguor reductioni Scholæ ad statum pristinum. Nisi fortasse eò pertinet hæc incusatio, qvod Ordines in onus contributionis priusqvam loco movear, consentire nolunt, ideo forsan Nobilisſ. Senatus per publicam paupertatem prohibetur, aucto docentium numero, ad pristinum statum reducere Gymnasium. Namq; memini, Magnif. D. Præsidem haud multò antè qvàm abdicationis decretum denunciaret mihi, significare, qvod *obex* ego *salutis publicæ* existimarer. Verùm credant, qvi Thorunium norunt, ex contributione illâ nehilum qvidem expectandum Scholæ esse, satis beatæ, si subsidium ei temporarium è cerevisiâ Prischeckianâ retinere in perpetuum licuerit. Atq; ut omittam, qvod nihil audiri insolentius potest, qvodq; magis à sensu communi abhorreat, qvàm cives debitum patriæ onus suspendere â conditione per leges impossibili; ut est hominis innocentis simulq; bono publico per longum tempus operantis ab officio deturbatio; constat utiq; satis, nonnullos è medio Senatu illud prorsus inane ac propè lusum judicâsse, satis superq; edoctos, qvidvis aliud malle communitatem qvàm oneri contributionis semet subjicere. Sicut experientiâ cognitum est, eos judicâsse, qvod res erat. Etenim tertius nunc annus agitur, ex qvo mihi denunciata fuit officii abrogatio, & nondum (scribo hocmense Majo MDC. LXXXIII.) à communitate impetratum est contributionis subsidium, qvod introducendum per deditionem veluti innocentis videbatur. Hîc DEUM testor omniscium, me, si Nobi-

lisſ. Senatus mihi ſignificaſſet, cauſam unicam & veram, qvamobrem me abire a Rectoratu vellet, cogere autem jure Ordinario non deberet, ſpem eſſe obtinendæ à civibus contributionis certam indubitatamq́; , alioqvin irritam, ne octiduum qvidem moraturum fuiſſe ejusdem gaudia ! Hoc autem qvî animo æqvo feram, qvod, ſub nomine Amplisſ. Senatûs, qvem nihil gratiæ, nihil odio dare religio ſinit, non ſolùm ad inſtantiam Ordinum, imò importunitatem, ut ajebat D. Præſes, remotio decernitur, executioniq́; mandatur, prævia comminatione majoris ſeveritatis, ni cedam, ſed etiam ad ultimum falſa emittuntur in publicum remotionis merita, eaq́; pars inepta ac inuſitata. Tanqvam non ſatis proſpectum ſit bono publico, meo ab officio abitu, ac patrimonii mei adeò jacturâ, niſi ſimul ſubeam exiſtimationis ac famæ periculum. Nemo Politicorum aut JCtorum hucusq́; extendit privilegium neceſſitatis publicæ, ipſumq́; adeo jus dominationis. Ut ne fando qvidem auditum eſt, civi paulò opulentiori non compellato priùs humaniter, ut granariam aut arcam pecuniariam aperiret, ſublevandæ publicæ inopiæ, annonam omnem & pecuniam fuiſſe per vim ereptam, ac cauſam hujus rei paulò pòſt in vulgus editam delictum anonymum, inprimis enorme, propoſito ſub magiſtratûs nomine & ſigillo programmate in publico. Loqvor verò de magiſtratu pio & non Tyrannico. Sed fortaſſe iſtum ſtatum priſtinum divinandum programma legentibus relinqvit, qvô minuendis in Scholam ſumptibus, non alium habitura poſthac Rectorem eſt, qvàm qvi Reverendi Miniſterii ſimul ſit Senior. Hanc anomaliam, qvam ante hac viginti qvinq́; circiter annos ab ordinibus damnatam eſſe indeq́; abrogatam liqvet, ſi qvidem reducere illis decretum fuit, nolim nunc veteres

defectus

fectus cum incrementis Scholæ novis comparare, aut non optare, ut in melius eant res Gymnasii. Saltem vereor, ut sit vanum judicium Politici: *ut corpora lentè augescunt, citò extinguuntur: sic ingenia studiaq; oppresseris facilius quàm revocaveris.* Cui consentaneum Viri prudentis auguriū abhinc triennium non semel auditum in Senatu, scio: auff solche weise/ als man wieder N. N. procediret/ wird GOTT unser Schulwesen nicht gesegnen. De cætero sententiæ non dubius sum, qvin paradoxum Theologico-Politico-juridicum, neqvid gravius dicam, detestaturi sint omnes boni, si causa abdicationis allegatur, eaq; Princeps, qvod, dum visum est, compendium sumptuum circa Scholam facere, atq; idcirco Reverendi Ministerii Seniorem constituere, qvi simul fungatur Rectoris munere; ego, ad famam istius destinationis, neq; sponte à functione abeo, neq; in abdicationem simulatq; eam mihi minantur, cum adversariis meis consentio & violentam ab officio remotionem anteverto. Æqvitas sanè Christiana istud ἔνθημα non patitur, nec sana jurisprudentia. Cui immotum axioma, jus qvæsitum nemini sine facto suo auferendum, ne qvidem â Summo Principe, Cæsare & Papâ, excepto casu necessitatis publicæ insuperabilis. Gail. II. obs. 56. Et compendium illud sumtuum jam nunc transiisse in dispendium, plerique vident dolentq;. Super est unum, lectori benevolo, qvod non dissimulem, in eam tandem me opinionem adduci, ut illud subesse postulationis ænigmati existimem, qvod Scholarchis qvibusdam haud satis mecum convenerit, atq; eatenus per programma indigitari, destinatæ Gymnasii restaurationi me repugnâsse. Memini enim, sub initium persecutionis a non paucis magnæ documentum labis vulgari, meritumq; adeo censeri ejectionis tantùm non præcipuum, qvod inter aut

potiùs ante alios de me qvesti fuissent hic, ille & iste Scholarcha, unus etiam à Proto-Scholarchatu non aliam ob causam abiisset, qvàm qvod ferre ultrà meum commercium neqviisset. Qvibus accedit, qvod Vir plurimùm Reverendus D. P. H. cum primum illum coràm salutarem, die VII. Julij, superioris anni, ex ore Patronorum causas remotionis duas mihi memoraret: asperitatem primùm disciplinæ, qvod Adolescentem qvendam domi nobilem (accidit hoc abhinc annis tredecim discipulo Classis Polonicæ) coërceri puerorum modo à præceptore Classico jussissem; deinde vehementiam qvandam animi, ac qvestus adeò de me DD. Scholarcharum, qvi obseqvium meum desiderâssent. Cæterùm sanctè affirmare possum, ex Scholarchis septem (plures usqve ad initium hujus persecutionis non fuerunt) tres qvidem omnia bona de me dicere; unum demum ante biennium aliorum arripuisse instinctu, (novi enim hominem, qvi diceret, alienandum à me esse, **man müsse ihn umbkantern**) qvo se offensum prætenderet magis, qvàm cordatis adprobaret, qvod ad nutum ipsius cuidam adolescenti patricio, qvi malo exemplo illuserat Scholæ disciplinæ, pœnam saltem objurgationis remittere nolui, seu, ut apertiùs dicam, D. Proto-Scholarchæ ex me reqvirenti, qvam pœnam subire deberet, loco custodiæ, qvam ipsi remiseram, responderem, meum non esse cum discipulo de correctionis specie pacisci; cum interim unicam mihi reservâssem objurgationem: nec dubitarem, qvin qvalicunq; libertati veniam apud D. Scholarcham præparassem multorum annorum obseqvio circa ea, qvæ minùs congruenter in his, qvæ disciplinæ erant, fieri à me subinde vellet, ac reipsâ mihi præciperet. Qvæ qvam justa sit causa odii implacabilis, judicent, qvi animum supra affectus habent: cùm præsertim innocentiæ meæ conscius

scius postulato malevolorum, de mei abdicatione fortissimè ille intercesserit in Senatu, verbis usus Nicodemi Joh. VII. 12. atq; ego non literis solùm ipsum veneratus sim observantiæ plenis, sed & molliendis viri iris, ter adierim limen ejus; sed frustra, qviter qvoq; alloqvio excluderer. Nempe periculum erat, ne concuteretur Respubl. nisi remotione ab officio vindicaretur, qvod detrectassem aliqvâ ex parte Scholarchæ inconsultum imperium; alioqvi culpæ ipsi nullius reus per annos XIV. qvod DEUM testor! Nec satis: me domo suâ qvoq; prohibuit, nec adduci in hunc usqve diem potuit, ut mecum rediret in gratiam, qvi se remissurum mihi esse offensam ad ultimum, interim conspectum meum ferre non posse, per gravissimos viros significaret. Tanto malo est homini de Scholâ, qvi publico stipendio vivit, Proto-Scholarcham facto magis qvàm dicto monuisse, non esse ei decorum, unde clienti vilipendium parat, inde sibi autoritatem adstruere, qvàm non necessariam tam publicè noxiam! Non libet memorare, ut alii qvoq; in illo Collegio autoritate consulari in vanitatem usi sint, cum, qvi patientiæ documenta dederam non levia, Scholæ munia confundi cum vilici servitio nollem. Nam præterqvam, qvod de mortuis qveri non soleo, *longa est injuria, longæ ambages*, & semel sopitas utcunq; ægritudines, nisi coactus, non suscitabo. Accedit, qvod curiæ antehac indicavi, qvantum rei Scholasticæ obessent, qvi hunc officii sui fructum putarent, si notum docentibus, notum discentibus facerent, qvod meâ possent contumeliâ, qvantum sibi liceret, experiri. Qvæ invitus omnino & cum dolore attingo, magis ut Viri doctrinæ amantes ac boni integritatem meam ne nesciant, qvàm ut miserias meas recognoscendo illis gravis sim, qvi, nisi per confictas fabulas, aut in majus

vulga-

vulgatas inimicorum traditiones colorare decretum inhumanum neqveunr. Et faciunt talia, ut reqvirere possim ex D.D. Superioribus, qvo jure a nonnullis Scholarchis pro reo audiam, cui in illos competebat tam justa postulatio, qvo jure desiderent in me mansvetudinem, aut incusent vehementiam meam, qvi tot annos intra reverentiæ leges animum continuerim vivum & ingenuum tum superiorum tum privatorum injuriis jamdudum langvore & veterno occupatum, nî DEUS avertisset. Qvod si tamen voce qvandoq; liberâ aut calamo offendi; ut difficile est indignanti sine impetu & calore dicere vel scribere: aut eram audiendus bono publico, aut eo nomine semel ad minimum admonendus annis qvatuordecim, aut ferendus saltem, alieno vitio vehemens non meo. Inprimis autem cogitari operæ pretium erat, qvàm benè cohærerent servilis stupor, qvam mansvetudinem Evangelicam vocant, & partes regendi Gymnasium, imò Gymnasium Thorunense. Sed de impedita restauratione ludi literarii satis! Transeo ad causam abdicationis alteram & tertiam, qvæ non minùs ac prima produnt animum repertoris infestum amarumq;, cum leges temerâsse mansvetudinis Evangelicæ, cum tranqvillitatem & pacem turbâsse urbicam insimulor. Verbo cum ut turbulentus homo ac publicè noxius depingor, qvô magis à meo cavere ministerio sibi velint, qvi pacem amant. Hoc qvid & qvale sit, verè profiteri possum, me ignorare. Nam, ut taceam, qvàm illegale sit Enthymema, qvod actiones mansvetudini Evangelicæ haud omnino consentaneas meritum facit amotionis ab officio, intelligere, aut veriùs definire adhuc neqveo, qvas neglectæ mansvetudinis Evangelicæ, qvas turbatæ pacis urbicæ nomine actiones meas designent. Si in mansvetudinis Evangelicæ

præcepta

præcepta pecco, qvod per tredecim annos malè habitus, tantùm dolorem non dissimulando, hominem me esse ingenuum, non servum, nec libertinum, doceo, atq; ad ultimum Sempronii cujusdam insidiosam procacitatem per programma increpo, abdicationis qvoqve placitum impugno ingenue, ac defensioni tempus impendo, qvod prensationibus ac precibus consumptum mallent; non dicam, cum Cremutio apud Tacitum, verba mea, non facta in hoc argui: dicam, me, priusqvam Thorunium venirem, commonefieri de tali mansvetudine Evangelicâ, hoc est, servitute non Evangelicâ debuisse, qvæ Rectori ex institutis loci incumberet. Namqve satis alioqvi me futurum mansvetum ac humilem putavi, si jure æqvo in urbe viverem, nec inferendo injuriam, nec patiendo etiam, simulqve cum industriâ ac vigore obseqvium Patronis ac reverentiam probarem. Qvam si in apologeticis meis posterioribus fortasse desiderârunt, asseverare haud sanè dubitaverim, in ipsa indignatione, qvam justam credideram, flexa ad modestiam: ac penes ipsos fuisse, ne cultum sui corrumperent, qvem eis summissum perpetuòdetuleram. Qvippe ut obseqvio mitigantur imperia; sic justitiâ & humanitate promovetur obseqvium. Neq; ullius mortalium tanta lenitas facilè reperitur, cui injuriæ suæ videantur parvæ. Certè providendum erat DD. Judicibus, ne suæ iræ magis qvam Clientis merito consulerent, juxta ea, qvæ scribit laudatissimus judex, in causæ incolæ, cui admissio ad victum civicum negabatur, sub obtentu irreverentiæ erga magistratum oppidanum in Urbe amplissima & Regiâ, his verbis: *Qvod petens debitum honorem, post litem motam, Senatui non exhibuit, id tanti non est, ut ideo a victûs facultate excludi debeat; qvæ pœna nimis severa foret: sed magistratus pro merito pœnam*

fliget. Qvibus addit ; ita ferè fit in civitatibus, ut ad excludendum a victu facile properetur, qvô tamen, post vitæ famæq; amissionem, durius Supplicium non est. Ideo ut iniqva est huc tendens arrogantia, sic refrænanda. Mev. VII. Decis. 267. Lectoris prudentis judicium esto, utrum ex duobus plus ex iniqvo habeat, incolam ex plebe ad coctionem aceti, qvam petit sibi concedi, non admitti, propterea qvod petens post litem motam debitum honorem Senatui non exhibuit? an hominem liberalium artium studia sectantem, qvi per longum tempus in Gymnasio Rectoris munia obiit bonâ fide, ideo functione hac exui, qvod non committit, ut damnatus etiam suâ sententiâ videatur, ideo suam innocentiam probat, placitum dimisionis injustitiæ & processum totum vitii arguit, voce liberâ, ut liber? Nam honorum titulos tantum abfuit, ut manu parcâ offerrem, ut pleno hos admetirer veluti modio. Judicent viri prudentes, an, si istam non mansvetudinem Evangelicam designat programma, per rerum naturam fieri potuerit, ut, qvod mihi vim faciebat abdicationis decretum, ab ipsis judicibus, priusqvam alienis affectibus servirent, agnitam & detestatam, iniqvitatis non arguerem, ne dicam, crudelitatis cum præsertim Reverend. D. Confessionarium meum frustra ad D. Præsidem ablegâssem, frustra Rever. Ministerium ad eundem meâ caussâ adiisset. Nimiam crediderim ministerii mei apud Thorunenses miseriam, si, qvia adversus vim-me defendo, ideo mereor vim pati : & patronorum sententiâ occidi, qvià me ipse non jugulo, idest, veniam petendo sic deliqvisse concedo, ut servari, nisi veniâ, non possim. Sin ad disciplinam Scholasticam spectat pernicialis ista postulatio, reqviram ex malevolis, num mansvetudinis Evangelicæ me oblitum existiment, cum secundum

Legum

Legum præscriptum animadverto in adolescentum lasciviam, qvidvis aliud facturus, si absqve hac officii Scholastici parte, ut non obtrectationis minus qvàm fastidii plenissima est, satisfacere vocationi meæ & bono publico potuissem: cum memor Imperat. Novell. Leon. CV. non alio affectu aliave moderatione pœnas sumo a Musarum alumnis qvàm à suis liberis sumit amantissimus & prudens genitor: cum a pœnis primæ ætati irrogari solitis apud paulò adultiores abstineo annis qvatuordecim totis, præter Antecessorum meorum morem, satis habens, si objurgatione severa, custodia Scholastica, & his æqvivalentibus pœnis secundum LL. Scholasticas in ordinem redigerem protervos. Hoc qvicqvid est animadversionis ac severitatis si sustinere accusationem adversus me potest, ut in hac Scholarum licentia scribenda in programmate hæc causa abdicationis erat, qvod stuporem servilem, indulgentiam intempestivam ac lenitudinem Rectoratus meus non caperet, labem illam, qva præ timore aut non audent corrigere malignitatem alienam, qvi suo aut muneris publici nomine tenentur, aut per ignaviam ac stolidam indulgentiam improbitati parcunt. Talis mansvetudo Evangelica qvomodo sociari possit cum disciplinæ severitate, qvæ ante omnia mihi commendata, qvæq; desiderata a D D. Superioribus fuit, qvotiens admissum a discentibus est, qvod legibus vetitum, æstimandum illorum prudentiæ relinqvo; cum præsertim non nesciant, qvoties mihi vitio verterint, qvod à pœnis primæ ætati & ludo triviali consentaneis apud juventutem superiorum Ordinum abstinerem, non placitum antecessorum exemplum seqverer. Ut defensionem meritissimò faciam meam, qvâ apud Regem utitur Amyntas Curtianus: Qvid iniqvius est, qvam me, qvi si non paruissem, jure daturus fui pœnas, nunc perire, qvia parui?

Ad minimum meminiſſe D D. ſuperiores par erat, non ex improborum adoleſcentum qveſtibus, qvi Scholam in laſciviam vertunt, aut vanis hominum fatuorum cenſuris, ſed ex ejusmodi tractatione juventutis, qvæ modi & temperamenti neſcia, plane ſit iniqva, in Scholis benè conſtitutis inuſitata, legibus præſcriptis adverſa, diſcentibus intolerabilis, Eccleſiæ & Reipubl. detrimentoſa, ac finibus adeò rei Scholaſticæ contraria, æſtimandam Rectoris Gymnaſii intemperantiam circa exercitium diſciplinæ eſſe. Qvi ſeveritatem qvamlibet hoc vocabulo traducunt, neſcire ſe ut alia, ſic celeberrimas qvasq; Patrum noſtrorum memoria Scholas produnt, huic inſtrumento debuiſſe inprimis qvicqvid famæ & gloriæ meruerunt. Ad Valentinum Trozendorfium qvi Goltbergenſe Gymnaſium amplius annos triginta rexit, cum confluxiſſe juventutem ex Sileſiâ, Poloniâ, Moraviâ multisq; aliis locis, ac raros fuiſſe homines eâ tempeſtate doctos in Sileſiâ, qvi non ipſo Præceptore uſi fuiſſent, memoriæ prodit Abrahamus Buchholtzerus, addit: Fuit SEVERUS CUSTOS DISCIPLINÆ, Ind. Chronol. ad an. 1556. Et Fridericus Taubmannus, qvo majorem in Cathedrâ humanitatis Wittenberga Doctorem haud audivit, ubi inter Scholæ Cygneæ Rectores tres, qvos magiſtros juventutis ferè ſine exemplo fuiſſe prædicat, Petrum Plateanum numerat: *Is morum, inqvit, & diſciplinæ tam ſerium exercuit magiſterium, ut, qvemadmodum olim, qvi parum ſanæ mentis & intractabiles erant, navigare Antiqyras jubebantur: ita Patrum & noſtrâ memoriâ, ſi qvem aſperis incultisq; moribus ſignificare vellemus, eum Cygneam juberemus proficiſci.* Otio Semeſtr. publ. ſeu program. Rector. p. m. 48. Thorunii qvantum profuerit celebratiſſimorum Virorum, Conradi Graferi & Johannis Regii, circa diſciplinam rigor, ſupervacuum

fuerit

fuerit memorâsse. Mihi certè in ipsis studiosis adolescentibus non defuerunt, qvi interrogati, qvæ causa fuisset, qvamobrem relicto hoc & illo Gymnasio (qvæ docentium claritate juxtaq; numero eminere noveram) hûc potissimum studiorum causâ venissent, satis ingenuè neq; insipidè: ob laxam responderent disciplinam, pestem esse ajebant juventutis. Et posum discipulorum meorum ad carmina typis impressa adversarios meos remittere, qvibus, qvod hi mihi vitio vertunt ruinamq; interpretari Scholæ non verentur, cœtus adultiorum publicè necessarium ultro agnoscit, ideo de mixturâ benignitatis & severitatis penes me, sibi gratulatur. † Disciplinæ (summatim dicam) neglectus facit, ut nec juventus possit, qvæ nescit, discere, nec magistros libeat, qvæ sciunt docere:

† *Permittet mihi lector benevolus, ut, qvanqvam invitus huc decurro, decurram tamen, & cum superiorum qvorundam judicio, aut verius affectu, discipulorum meorum persvasionem conferam, qvam typis testatam ad diem nominalem meum fuerunt ingenuè, anno 1675.* (cum paulò antè incurrissem in offensionem Cos. qvi contra me domi pœdagogum detineret aliqvot septimanas, qvod hujus irreverentiam inter preces in templo carcere Scholastico, impudentiam adversus Visitatorem, qvem, me audiente mendacii argueret, alapâ vindicaveram) *in hæc verba:*

Qvam placidis ludi loris moderaris alumnos!
Non nimis ista fluunt, non nimis ista premunt.
Es mitis, digitis dum cerea pectora parent,
Et fingi dignum se patiuntur opus.
Dædaleam contrà si dextram admittere nolunt,
Ernestus fis, & non minor ira movet.
Seria tunc sequitur correctio, seria pœna,
Qvæ jubet infligi lex ratioqve, reos.
Jam de prostratâ retulit qvot penna triumphos
Barbarie, victum qvæ erigit usqve caput?

qvo de videri optem dissertationem M. Ant. Mureti, in qvâ caussas exponit, cur domi suæ doceat freqventiùs, qvam in publico auditorio. Adeò, dum medium illud acerbitatis & lenitatis haud facilè attingitur, multò commodior ut in omni Republ. sic in Scholâ qvoq; Severitas est, qvàm illa stupori simílis lenitas, proterviæ & inertiæ omnis alumna, judicio Summi Politici Joh. Bodini. V. de Rep. 4. in fine. Neq; ego cogitando assequor, qvâ tandem ratione seu constare decus suum vitæ Scholasticæ, seu obviam iri pudendæ ignaviæ & manifesto studiorum naufragio, citra metum disciplinæ non laxæ, qveat in urbe, qvæ qvæstui intenta eodem loco bonarum artium studia habet atq; inertiam, vix alias illas cultu dignas intelligens, , qvam cum in foro & curiâ sibi ipsa indignatur insscitia. Præjudicium verò qvàm leve vel potiùs nullum juventutem premat ex rigore disciplinæ, discant, qvi nesciunt, a magno Politico & JCto, qvi de juventutis qvoq; Academicæ moderatione : *Disciplinâ, scribit, aliqvantò rigidiore eget Scholastica Respubl. Ideo & per pœnas, qvèis juventus coërcetur, veluti mulctam, arrestum, carcerem, relegationem, exeritur. At qvia potior eis finis emendatio vitæ morumq;, ubi hæc obtinetur, postea sustinuisse non est præjudicio. Qvot viri magni Eccles. & Reipubl. cum dignitate & utilitate præfuerunt, qvorum petulans juventus pœnas meruit & sustinuit. Nihil vero maculæ post pœnitentiam hæ relinqvunt. Unde aliàs eruditione meritis nihil ex iis ad promotionem & honores obstare debet.* Hæc ille de disciplinâ Academica VI. Decis. 222. magis districtam & rigidam probaturus, si de Gymnasiis & Scholis trivialibus fuisset dicendi occasio. Neqve aliam puto mentem fuisse Amplisf. Senatui, qvi, cum qverelis de severitate disciplinæ auditis, certam declarationem ab eo peterem, legum-

ne

ne præscriptum rationabiliter seqvi in posterum, an omittere vitia prævalida & adulta, foresqve aperire licentiæ & inertiæ deberem, prius in publico confessu coràm mihi injunxit. Qvæ utinam expendant adversarii mei, desinantq; mirari, cum sementi Scholasticæ, qvam faciunt, plus nimio responsura videtur messis, jamq; in herbâ virent malorum Patriæ Zizania, qvæ tritici segetem omnem possint suffocare, nî DEUS averterit. Ut Thorunium tristi exemplo ac damno dubium an unqvam reparabili comprobare non desinit, qvod Oraculi vicem proditum est ab optimo Præceptore, Fabio Qvintiliano: MOLLIS ILLA EDUCATIO, QVAM INDULGENTIAM VOCAMUS, NERVOS OMNES ET MENTIS ET CORPORIS FRANGIT. 1. Instit. Orat. ita nihil factu promptius, qvàm pro literarum artiumq; bonarum Gymnasio adornari Vacunæ & inertiæ stabulum; in qvod ê contrario vertatur laus Scholæ propria, ut qvidam Oratorem olim designandum censebat. Virum malum dicendi imperitum ejusmodi matris genuinum fœtum ac nimis frequentem. Ut metuendum sit, ne aut propediem removetur edictum Censorum, Crassi & Domitii, qvo magistri qvidam illius ævi CLAUDERE LUDUM IMPUDENDIÆ jussi sunt. Aut, dialog. de causis corruptæ eloqventiæ, apud Tacitum: aut Domitius ille Afer in publico dicat Scholarchis, qvod olim Centumviris: HOC ARTIFICIUM PERIIT. Plin. II. Epist. 14. Sed redeo unde digressus sum: & húc recidisse spes meas doleo, ut, cum grâtias inprimis me initurum publicè sperarem, qvod disciplinam ante me lapsam summâ ope revocâssem depulsâ superiorum annorum inertiâ & contumaciâ, hoc qvoq; nomine vapularem inter ipsos tres ordines, tanqvam in neglectum mansvetudinis Evangelicæ abiisset hic meus labor

bor: Qvod si tam verum esset, qvam falsò id dici, abhinc biennium Amplisſ. Senatui demonſtrabam, me admonendum tamen fuisse priùs contendo, ut leges Scholasticas haberem pro antiqvatis: ne causſa abdicationis foret error non affectatus, neſcientis, qvod nuper me docuit Scholarcha primarius, carceris Scholaſtici pœnam ad extraneos pertinere, non æqvè ad Thorunenſem juventutem; neſcientis, qvod magno meo cum dolore tunc demum didici, exſpectatam à me mixturam rerum per naturam inſociabilium, cuſtodiam exactam boni Ordinis in Schola, & evitationem pœnarum, qvas ratio, leges, uſus & praxis perpetua imperant, hoc eſt, poteſtatem regendæ Scholæ datam mihi inanem & eluſoriam fuisſe. Non vereor, ne metu pertinaciæ omisſam admonitionem dicant. Etenim hanc diu eſt, qvod a moribus meis ſegregavi, ideo flecti facilis, & nunqvam meis opinionibus ita hærens, ut aliorum ſententias, nedum ſuperiorum interdicta, poſthabeam. Qvanqvam ſi vel maximè agnita fuiſſet aliqva mea moroſitas, non continuò properandum ad dejectionem erat: ne deteriore conditione forem, qvàm vulgus famulorum eſt in aulis Celſisſimorum Principum, qvos qvater & amplius officii prius admoneri, qvàm ejiciantur, ex ordinationibus aularum typis excuſis diſcitur. Ex dictis intelligetur, qvo jure in me deſideretur manſvetudo Evangelica. Seqvitur, ut oſtendam, non minori verborum licentiâ, me incuſari turbatæ pacis publicæ. Enimvero a proprietate phraſeos ſcientes abiisſe, qvi probro hoc lacerare famam meam non verentur in publico, teſtes illos ipſos habeo, cum XV. Januarii declaratione finali Ordinibus indicant, qvod illæsâ conſcientiâ pœnam abdicationis in me decernere neqveant: contrariâ huic declaratione haud dubiè veniam

daturi

daturi precibus ordinum, siqvid eorum commisisse visus fuissem, qvæ in causam incidunt turbatæ pacis urbicæ, criminis oppido perqvam atrocis, qvod severissimè vindicare civitates benè constitutæ solent debentq;. De cætero non fallam, si qvam modestiam publica testimonia antehac mihi tribuunt, eam me tulisse in hanc urbem ac fideliter coluisse dicam. Interrogabo hîc iterum merito, qvidnam sit illud, qvo pacem urbicam turbârim. An qvod injurias mihi illatas gravissimas publico qvestu repello, & qvi in convivio nuptiali retundere licentiam Sempronii non possum, ad fores Gymnasii in monasterio, qvas octo aut summum duodecim homines, præter studiosam juventutem & docentes Gymnasii, forte præterevnt de afflictione injustâ, post multorum annorum patientiam, tandem ex indignatione justâ conqveror: Cui aliqvando contigit solator, nunqvam ultor? Novum hoc in jurisprudentia dogma, aut potius paradoxum est, qvod qvantopere à juris ratione abhorreat, vel sensus capiat communis, juxta edictum Prætoris, l. 1. D. *qvod qvisq; juris*, æqvissimum esse dictitans, qvod qvis in alterius personâ in aliqvâ re, pro se æqvum esse credidit, ut in suâ qvoqve ipsius personâ, in ea re idem contra se valere patiatur, talionis jure, servata proportione. Id qvod jus Rhadamanti apud Philosophum vocatur Arist. V. Ethic. V. Adde, qvod nihil verius illo Nazarii: *O qvàm acres habet dolorum aculeos contumelia, qvam imponit inferior!* Cæterùm tam vilis Thorunii est Gymnasii Rector, ut parum sit injurias DD. Præ-Cons. aliisq; è Senatu & Scabinatu ab eo condonari, nisi etiam à procuratore judicii se mitti sub jugum æqvo animo patiatur, qvod incola tertii ordinis est. Illi lucro injuria est, mihi fraudi defensio: ut constet Macedoni & Olynthio non idem juris esse: nec

audiri eum contra Sempronium debere, qvi qvatuordecim annos, non unum diem cogitari à P. C. cupiat: Patronorum gratiâ destitui, qvi incolam tertii ordinis inimicum habeat. Qvî non exclamem hîc meritò: *Heu malè Pierides miseras Thorunia tractat!* Enim vero cum multa ego largitus venerationi Patronorum essem, qvæ ipsi, qvæ alii sibi in me & officium meum arrogaverant licentiùs, magno patientiæ meæ documento: illorum, opinor, æqvitas postulabat, ne officium mihi publicum abrogarent, ad postulatum malevolorum qvam inhumanum tam fluxum, neu pacem publicam læsam per me scriberent, cum eam ignaviam non capio, qvæ injurias & mihi & Scholæ pariter noxias sine fine ferat ferendoq;, ut ille ait, invitet: Sed jure concesso utor, sicut de facto meo diserte existimat Nobilisſ. JCtorum in Academiâ Francofurtanâ Collegium: So ist auch die 4. ratio dubitandi von keiner Erhebligkeit: Massen/weil sonst die Retorsiones iujuriarum moribus vor rechtmäßig erkant werden / dem Theophilo nicht imputiret werden kan / daß er sich dergestalt in seinem Ampte wieder alle Verläſterung und Verhetzungen schützen wollen. Nempe manifestum est, Sempronium mihi programma extorsisse sua procacitate, eiq; qvi provocat & rixam movet, pœnam propositam, illi verò, qvi se defendit, pœnam nullam constitutam esse: &, si provocans damnum ex defensione accipiat, damnum sentire non intelligi, qvia suâ culpâ sentit. Qvanqvam, si qvod peccatum meum suberat, me qvoq; hominem esse cogitari poterat, qvem mirum non esset, injuriarum toties acceptarum odio, injurias ad extremum qvodammodo facere. Ut nulla ætas est, qvin errandi cuidam necessitati deprehendatur exposita; qvam metuere animus probus potest, non semper evitare. Neq; ideo tamen necesse erat, ad

strophas decurri, aut legi fraudem à DD. judicibus fieri in gratiam Clientis, exemplo Chilonis apud A. Gell. 1. Noct. 3. Qvippe etiam post latum in me abdicationis Decretum agnoscunt, palamq; profitentur, à proposito adversus Sempronium programmate non posse arcessi legitimum decernendæ abdicationis argumentum. Id qvod inter alios ipse mihi coràm largiebatur D. Præses, die XXIV. Julij, sumpto ultro argumento ab exemplo Civium, qvi inter se sibi non parcerent, alii alios afficientes atrocibus injuriis: minori pœnâ, qvàm qvæ in remotionem ab officio abiret. Et docuerat paulò antè suo exemplo par virorum in nuptiis, occasione datâ per saltationem, à verborum contumeliis ad manuum consertionem & alapas devenientium, nullo qvestu ordinum apud Senatum, ut loco illi ac ordine moverentur. Sed haud scio, qvid magis æqvitati adversetur ac libertati, qvàm si iisdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur qvidem. Id qvod inprimis cavendum esse, monet Romanus Consul 1. off. 25. Tacebo, qvod lege oppidi hujus statutariâ peculiariter cautum est, ut causæ injuriarum auctoritate magistratûs æqvo modo sopiantur. Intuitu nempe fragilitatis humanæ, cui nunqvam magis favent Divinæ & humanæ leges, qvàm cum justo dolore accensus animus innocens sibi vindicias qværit; aliaq; simul momenta & qvasi appendices personarum & causarum & temporum, ut Theophrastus ajebat, injuriam elevant ac propè tollunt. Ut causâ qvoq; parricidii, ex delegatione Romani in Asia Pro-Cos. inspectâ & cognitâ, ad se reverti post centum annos & accusatorem & partem ream juberent judices Athenis gravissimi: ne absolverent eam, qvæ cædis accusaretur, qvod per leges fieri non liceret; aut nocentẽ damnarent

narent punirentq́; , qvæ justo dolore ad ultionem impulsa veniâ digna foret. Id qvod mansvetè sapienterq́; fuisse factum, scriptores censuerunt haud sanè ignobiles. Val. Max. VIII. Exempl. 1. A. Gell. XII. Noct. Attic. 7. Saltem Thorunium videri possit hoc instituto uti, ut civis oppidani injuriis indulgeat, defensioni publici ministri ne qvidem ignoscat; illi gladium concedat, huic scutum qvoq́; adimat. Judicet nunc lector candidus, qvo jure in vulgus spargat auctor programmatis, me incrementis & commodis Gymnasii obstitisse, me pacem urbis turbâsse. Cujus accusationis indignitatem in me non convenire & ego jam ante biennium, qvantumq́; ad caput prius attinet, in primis in repræsentatione causarum nutantis Gymnasii, ad oculum demonstravi, & ipsi D. D. Patroni mei d. XV. Januar. suâ confessione comprobarunt, ut & deinceps, cum dimissionis causam non aliam præferrent suo decreto, qvàm instantiam ordinum, qvi flagitationis finem non facerent. Nempe obliqvida causæ non malæ argumenta à judicibus absolvor; ob illiqvida abdicationis merita ab actoribus & judicibus condemnor. Illam documentis ego plurimis & perspicuis & invictis firmavi, docentibus id abundè actis: his comprobandis satis existimatur, si qvarto demum mense a lata & intimatâ mihi sententiâ (qvam sic vocabo) scribatur in programmate, actiones meas, res & circumstantias tales adparuisse, qvæ non solùm destinatæ reductioni Gymnasii ad statum pristinum, ut & Evangelicæ mansvetudini adversatæ sint, sed tranqvillitatem qvoq́; & pacem urbis turbarint: atq́; easdem actiones res & circumstantias tam urgentes ac prægnantes judicatas ab Ordinibus OMNIBUS fuisse, ut iidem UNANIMITER in abdicationem mei CONSENTIRENT, idq́;

Præcos-

Præcoss. & Coss. vigore magistratus, qvo funguntur, aliqvotiens mihi denunciarent COMPETENTER. Qvæ qvoties ego lego ac cogito, mirari eqvidem satis neqveo, qvi aut scribere auctor programmatis, aut cum illo credere unus altervè potuerit (nam toti Nobilisſ. Senatus Collegio hoc programma probatum fuisse non crediderim) causas abdicationis urgentes ac prægnantes judicatas ab ordinibus omnibus fuisse unanimiter, qvas in hanc usq; diem actor nullus probavit, reus sibi objectas nunqvam audivit, DD. judices veriſſimè ignorant. Non injurius in illos ero, si ex veteri formulâ exclamavero: HÆC QVIDEM VIS EST! Qværo, & qværent mecum cordati, qvi hæc legent, cur Amplisſ. Senatus priùs me condemnet, qvam reddat causas damnandi? cum præsertim præsumptio pro me militet ex causis tam gravibus, qvàm levia esse & falsa, ipsius Senatûs judicio patuit, qvæ malevolorum gravamina opponunt. Cur auctor programmatis, & qvi cum hoc senserunt, in Senatu, ipsis accusatoribus primis iniqviores, qvi articulos obtulerunt speciales, accusationis obscuritatem perspicuitati anteponant, non exprimentes, ut decet, & sancta justitia præcipit, proprio nomine, &, ut sic dixerim, in individuo actiones illas, qvæ emendationi Gymnasii & Evangelicæ mansvetudini repugnent, imo & pacem oppidanam turbent, meo vitio. Cur jurisdictionis ordine inverso, qvem leges & praxis fori accuratè observari volunt, in his qvæ minimè notoria aut extra controversiam, ideo altioris indaginis sunt, ad sententiam festinent: priusqvam probationes idoneas mihi legitimè ob oculos ponant, exceptiones etiam ac defensiones meas audiant, verbo: priusqvam singularia causæ, qvod omnium rerum debebat esse primum, legaliter

liter expendant haud utiq; damnaturi, qvod ab Alfeno responsum legitur, *in caussâ jus esse positum*? Cur tam perfunctoriè tractent rem maximè arduam, desintq; officio judicum præcipuo, qvod in caussæ cognitione plenâ & accuratâ situm est? Qvæ ut regiâ juris ac æqvitatis via procedat, certum est, qvod utriusq; partis allegationes harumdemq; probationes & exceptiones peræqvè sint audiendæ, qvodq; nulla adversus reum argumenta possint adferri tam valida in his, qvæ FACTI sunt, qvin judici incumbat harum copiam reo facere: ut hic videat atq; observet, an revera sic sint comparata, ut plenam possint fidem facere nulloq; prorsus defectu ac vitio laborent, qvod judici etiam sapientissimo diligentissimoq; possit imponere: qvi facti circumstantias ex solo actore non magis potest cognoscere verè, qvam ex solo reo, ideò discit ex utroqve. Enim vero in hoc consentit JCtorum disciplina, qvod tametsi judici fiat probatio, judex, tamen super probatione facta non statuat pronuncietq;, nisi ritè priùs auditis partibus. Et qvamvis judicis sit, qvovis modo accelerare litis finem, non tamen aliter hoc justè facere potest, nisi causa plenè sit cognita, & plenè edoctum fundamentum intentionis, in qvo positum est jus agendi. Ita summi qvoq; apud Paganos Principes, susceptа inter privatos cognitione causarum, audiverunt litigantes patienter, & probationes inprimis reqvisiverunt. Sicut de Trajano Plinius; Cæsar, scribit, EXCUSSIS PROBATIONIBUS, centurionem exauctoravit. Idem Cæsar, cum dictum esset, suspicionibus relinqvi reos, nisi audirentur: Non curo, inqvit, an isti suspicioni relinqvantur; EGO RELINQVOR, nisi eos audivero. Qvas & similes his virtutes judicis in Imperatore Romano multis verbis prædicat prudentissimus scriptor, Plinius VI. Ep. 31. Qvi strictim

sed

sed graviter notat Domitianum : absentem inauditamq; damnavit, immanitate tyranni, licentia domini. IV. Ep. 11. Nec vero audiendos, opinor, persecutores meos, si decreti sui æqvitatem fundent in postulato Sacerdotum Joh: XVIII. 30. Enim vero in re tanta, ubi viri juxta & civis boni fama, patrimonium, animi tranqvillitas, sanitas corporis, conjugis ac sobolis salus, in discrimen adducitur, autoritatem judicis aut partis pro ratione ac lege perperam allegari, nemo bonus piusq; inficias iverit. Sicut istam arrogantiam graviter & verè detestatur Theologus pietate & prudentiâ nemini secundus, B. Joh. Gerhardus, dignus, qvem oppressores mei audiant ex commentario in historiam passionis & mortis Dominicæ ad l. e. Cæterum ad propositum ut redeam, à vero haud aberrabo, si ita comparatam esse triplicem illam programmatis incusationem, dixero, ut, si vel maximè demonstratum fuisset, actiones qvasdam meas repugnâsse destinatæ à superioribus emendationi Gymnasii, repugnâsse mansvetudini Evangelicæ, & pacem deniq; turbâsse oppidanam, non ideo tamen amotionem ab officio meruerim. Debebant enim docere adversarii animi propositum : docere destinatam malitiam : docere dolum malum, qvem præsupponit remotio Professoris, alioqvi reqvisitis functioni propriis necessariisq; non destituti. Num abrogabant vulgatum jurisprudentiæ axioma : pœna privationis sine dolo non irrogatur ? Num in os contradicent Ulpiano, aut verius ipsi Themidi : Fraus sine pœna esse potest : pœna sine fraude esse non potest. 1. 131. D. de verb. signif. Num mihi uni illam mansvetudinem Evangelicam imponent, ut sine fine mihi insultari etiam à privatis incolis qvibuslibet patiar ? Ut, qvia stipendio publico vitam tolero, ideo servum me esse credam, sensumq; injuriarum

juriarum omnem exuam? cum ipsi utiq; experiantur quotidie, qvàm potens atqve imperiosus hic affectus sit: qvantâ incumbat ferocitate mortalium animis, & qvas immittere furias etiam illis subinde soleat, qvi à morositate Scholasticâ sunt alienissimi. Deniqve, si nemo civis jure civitatis privatur, nisi ob delictum, qvod nullam prorsus excusationem aut veniam patitur, aliàs aliis pœnis afficiendus; si pœna omnis civiliter & moderatè irroganda; si ne belli qvidem jure ultrà sæviendum in hostes professos est, qvàm poscit necessitas, & publica incolumitas: viderint mei adversarii spectabiles inter Ordines Thorunenses, qvàm RECTE ET ORDINE fecerint, sic me affligendo; qvàm belle cum justitiæ ac humanitatis præceptis conveniat decreto UNANIMI OMNIUM CONSENSU facto, qvo civem honorarium (qvalem me ultro agnoscunt, qvem sicut cæteros Clericos legibus etiam suis subjiciunt) officio divinitus mandato privant, per qvindecim annos, grande mortalis ævi spatium, judicio C. Taciti in Agric. 4. totis viribus operantem rei Scholasticæ, neminem ex magistratu aut Clero, neminem ex communitate oppidanâ dictis aut factis lacessentem, nunqvam privatim accusatum, nunqvam spartæ malè gestæ causâ conventum, officio tum civis, tum viri boni, cum optimo qvoqve sedulò incumbentem, deniqve accusationem omnem falsitatis & vanitatis convincentem liqvidissimè. Viderint, num sic me tractando æqviori præsidio suam tueri causam qveant qvàm Vargas ille Hispanus, qvem cum Professores Lovanienses qvererentur, qvod vim ab illo paterentur jura Academiæ, hoc unum regessisse accepimus, non minori solœcismo Politices qvàm Grammaticæ: Nos non curamus vestros privilegios. Ubi apparet in hoc abdicationis judicio decantata illa Thorunio æqvi-

tas,

tas, qvam suæ jurisdictionis præcipuam facit mensuram ac regulam, juris communis, ut putatur, haud indigens? ubi catholica illa atqve æterna æqvitatis maxima: *Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris?* Ubi mansvetudo illa Evangelica, cujus posthabitæ pœnæ mihi irrogandæ tam graves erant? Qvid habebunt, qvod respondeant, si æqvi arbitri suum facient illud ex Hugonis Grotii apologetico epiphonema: *Qvomodo talis agendi ratio à vitio iniqvitatis, imò ab immanitate barbarâ purgari potest?* Apolog. c. 16. in fin. Utinam, priusqvam Semproniani, per publicam denunciationem remotionis, Spectatoribus dicerent: PLAUDITE! in mentem Nobilissimo Senatui venissent, qvæ in literis Reverendi Urbis hujus Ministerii Lutherani ad Dn. Præsidem, die IV. Junij, anni proximè præterlapsi 1680. datis legebantur, his ipsis verbis, testante autographo: Vor dieses/ das wir vor die gantze Stadt wachen und beten und jederman den richtigen Weg zum Himmel zeigen/ soll unser Lohn seyn/ das wir/ als ein fex hominum herunter gestossen/ und mit ungerechten Schlüssen gequälet werden. Wer hat uns zu solchen mancipiis und Leibeigenen Unterthanen gemachet/ das man so ungescheuet und geschwinde über uns schliessen kan? Wer hat jemand solche Macht über uns gegeben? Nimmermehr können wir uns zu dergleichen Verachtung und Unterthänigkeit verstehen. Wir bitten man wolle doch selbst erkennen/ ehe es der Ehrbaren Welt zum öffentlichen Erkäntniß dürffte heimgestellet werden/ ob es recht/ ob es vor GOtt/ im Gewissen/ und vor der Evangelischen Kirchen zu verantworten stehe/ daß/ da man uns unsere/ wiewol geringe Besoldung nicht richtig giebet/ sondern schon ins Zwey und zwanzigste Jahr ins stecken gerahten lassen/ und solches ohne Noht/ sondern allein uns zu drücken/ man nichtsdestoweniger &c. Was ist darauß anders zu schliessen/ als das

nunmehr alle Ordnungen über uns souverain seyn wollen/ und ihnen einbilden/ das sie unsere Freyheit und Knechtschaffe unser Leben und Todt in ihren Händen haben? O Domine, mögen wir wol mit dem heiligen Polycarpo außschreyen: in qvæ nos tempora reservasti? Hæc Reverendum ministerium de illis, qvibus plus posse in Civitate est plus licentiæ habere. Qvæ qvò sit evasura, suspicari qvàm re ipsâ experiri est melius. Ego DEUM supplex oro, ut oppressoribus meis ignoscat, & pro suâ misericordiâ intercedat fœdo liberalium artium vilipendio, qvod eò provectum esse res loqvitur, ut adhortatione Papæ illius non egeant, qvi suis Romanis auctor erat, ut filios à literarum studiis arcerent: satis esse, SI LEGERE ET SCRIBERE DIDICISSENT. Platina in Vita Pauli II.

F.

Testimonia publica Stetinensia, item Thorunense.

I.

Professores Pædagogii Stetinensis.

L. S.

LIcet virtus per se ipsa satis clara sit, citraq; aliena encomia sese commendare aliis abundè possit, non nunqvam tamen, ut seculi præsentis mores sunt, ita furvis adversitatum nebulis obscuratur, ut eas sine externis testimoniorũ radiis pervincere vix atqve vix possit. Qvod cum intelligat Vir Clarisſ. atqve Pereximius Dn. M. Ernestus König/ Eloqventiæ Professor & Sub-Rector Illustris Pædagogii solertissimus, dignissimus, Collega noster conjunctissimus, cui alia omnia cogitanti, inusitata qvædam adversaria non ita pridem hîc loci constituta, atq; idcirco voluerit, ut ex vero & conscientiâ, non affectu, tum eruditionis, tum vitæ suæ apud nos peractæ, testimonium perhiberemus, æqvum postulare, imò non solum precariam opem, sed pro

pro debita petere visus est. Qvod si enim exteros & non plenè ac certè notos tralatitia humanitas nostra commendat, qvî de Virtute & Vita Viri, qvem plerìq; ab annis pluribus novimus, & virtutis, pietatis, doctrinæ & humanitatis reperimus peramantem ac undiq; inculpatum, testari recusemus? Cum gratia igitur id à nobis impetrare potuit, debuit; qvorum est, cum omnibus Virtutem amare & adjutum ire, sicubi ea vel ignota sit, vel testimonii ac subsidii egeat. (Atq; ea propter ex vero & conscientiâ, non affectu, testamur ac profitemur: eruditionem ejus esse haud vulgarem, aut leviter fundatam, sed edecumatam, & qvæ altas egit radices, & tum publicis prælectionibus, tum privatis Collegiis, fructûs per triennium Pædagogio nostro dedit uberrimos: Solertiam certare cum dexteritate, dexteritatem cum fide, fidem cum labore, laborem cum indefesso benè de juventute merendi studio: pietate & religione in DEUM; probitate & modestiâ in alios; concordiâ & officiis in nos Collegas, ita se probasse, ut non nostrum saltem, sed omnium bonorum, qvibus modo Viri virtus planè ignota non est, amorẽ, favorem ac benevolentiam meruerit, & votum, ut in Reipublicæ literariæ & hujus Gymnasii emolumentum diu illum servet, omnibusq; bonis augeat DEUS: qvo teste, communi omnium studio, hæc scripsimus & signavimus. Sedini, Idibus Martiis, Anni CIↃ IↃC LXIV.

(L.S.) *JOACHIMUS FABRICIUS, SS. Theol. Doctor, & Professor in Regio Gymnasio, ædis Marianæ Pastor, ac Vice-Superint.*

vino humanoq; jure venerabilis inter alia Facultatis Theologicæ Wittebergensis judicio † comprobavi abhinc annum, etsi aqvam citius expressurus è pumice, qvam mitiorem in sententiam ut flecterem infensos. Qvid est ingenia studiaq; liberalia extingvere, si hoc non est? Qvorum parentes, ut sic dixerim & cultores tametsi vulgo profano sine pretio, sine honore sunt, spectanti, qvæ coram habentur, labores ærumnosos, imum in civitate locum, sordidum domi victum & cultum, miserrimam Senectutem, qvodq; complementum durissimæ professionis est, orbæ Sobolis inopiam ut plurimum pudendam: manet tamen, mansurumq; est in animis Virorum prudentium, in Curiis Christianorum magistratuum, Romani qvondam Cos. judicium, doctoris haut sanè umbratici. Etenim nullum munus, scribit Reip. adferre majus meliusve possumus, qvam si doceamus atq; erudiamus juventutem, iis præsertim moribus atq; temporibus, qvibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atq; coërcenda sit. II. de Div. 2. in princ. Cæterum ut legum auxilia contra injurias invocare mihi haud fuit promptum, & contra torrentem niti etiam infructuosum: sic magnus mihi est animus, futurum, ut T. plurimum Rev. Excell. manifestam oppressionem sublevare Zelo Theologico malit qvam solitudinem meam cum innocentia despicere. Id sane honorificum Tibi juxtaq; in proclivi, qvi, pro commercio, qvod cum humanitate tibi & doctrina est, cætera inter ornamenta hoc habes, ut ego opinor, eximium, qvod benè dicendi & faciendi artem, res pulcherrimas, conjungis. Acta si libet cognosse publica, haud ea abnuam: & sicubi lucem desideraveris forsan, ipse adero ingenuus interpres, T. pl. Rev. D. enixe orans, communi securitati ut faveat. Vides, ut à miserrimis mortalium Ecclesiæ & Scholæ ministri prope

absimus, si, cum volunt, qvi nullas vel ineptas ob causas nobis infensi sunt, statione continua, diram per vindictam, deturbamur, demptâ pignori fide, qvo potissimum cautum sapientissimi legum auctores & magistratus immensis ingeniorum laboribus volunt: ne sero studiorum infelicitatem damnent, per qvæ agrum colere non didicerunt, & mendicare tamen merito erubescunt. Nec vero audiendos esse crediderim, qveis honestissimæ Vocationis munimentum, prensare captareq; qvoslibet modis qvibuslibet, & omnia serviliter pro pane tam pati qvam agere. Utcunq; fallat specie virtutis vitium, Te certe non fugit istius instituti consectarium, qvam dignum Monacho barbaro, tam publice noxium ac detestandum: *Fac tuum officium taliter qvaliter, & mitte vadere sicut vadit.* Hæc Tibi pro simplicitate mea. Nam qvod præsens monere ac petere à T. E. poteram, hac qvasi præcursoria epistola rogandum duxi. Declarationem, (a) & protestationem utramq;, (b) cum Responsis Theologorum, (c) & JCtorum, (d) simul cum his qvæ mitto, si legeris, agnosces qvod minime difficile, exempli hujus præjudicium. Nec moveberis, opinor, qvæ tua ex aula experientia est, si qva in me adversa finxit adversariorum odium. Legat, qvæso, Excell. T. & relegat gravamina qvatuordecim: bis vana & inepta dices, si falsa vulgarunt atq; inania, ut vera reticerent enormiaq;. Vale, Vir plurimum Reverende, & salve cum dulcissima conjuge ac communibus liberis!

Dabam Thorunii,
XV. Jun. 1682.

Plur. Rev. Excell. T. officiosissimus
Cultor,
M. Ernestus König, Thorunens. Gymn. Rector.

(a) *Habetur supra, sub. C. 1.* (b) *Sub D. item post præfationem Provocat.* (c) *Sub G. 2.* (d) *Sub G. 1. Consil.*

† *Consil. Theologorum VVittenbergensium, super abdicationem Verbi Ministri,*

Ex Parte II. Consiliorum Theolog. fol. 213.

ES haben in einer Stadt in Schlesien diejenigen/welche das *Jus vocandi* gehabt/ Anno 1633. sich unterfangen/ ihrem *Pastori*, der in Lehr und Leben sich nicht allein unsträflich / sondern auch treu und zur Zeit der Gefahr beständig erwiesen/ungeachtet seiner bescheidenen *Exception* und *protestation*, seine *ordinar*-und anbefohlene Ampts-Predigten zu halten/*non semel, sed ter & quater repetita inhibitione, addita quoq; cruenta comminatione*, ernstlich zu hemmen und zu verbieten / hergegen den untersten *Diaconum* auftreten/ und des *Pastoris vices* verwalten lassen. Und obwol ermelter *Pastor* andern seinen Pfar-Kindern solche *attentata* geklaget / und auf die Uhrsachen zu wissen gedrungen/warumb man ihm sein Ampt zu verrichten verbohten hätte / ist ihm doch nichtsmehr denn ein *dimission*-Schreiben/darin begehrter Ursachen/ keiner gedacht/sondern nur / das man mit seiner Lehr und Leben wol habe können *content* seyn/ bezeuget worden. *Quæritur:*

I. Ob solcher *Pastor pro legitime dimisso vel remoto* könne gehalten werden?

II. Ob *Diaconus* in *Pastoris locum surrogatus* sich zu solchen verbottenen *Ordinar*-Predigten / *nondum dijudicata causa in gratiam adversariorum* hätte sollen gebrauchen lassen?

III. Ob nicht *Pastor* und wie / solche Wiederwertige zu Erhaltung des *respects* im heil. *Ministerio* zu belangen? *sequuntur verba ipsa Theologici responsi:*

So halten wir Gottes Heil. Worte und wolgefassen Kirchen-Ordnungen gemäß zu seyn: 1. Ist der *Pastor legitime vocirt* worden / sowol *quantum ad personas vocantes*, als

quan-

qvantum admodum Vocationis. 2. Hat man ihn im Leben und Wandel keines Tadels überführen können. 3. So ein Tadel gewesen wäre/und derselbe dennoch nicht *à competente udice*, noch *modo legitimo*, *dijudiciret* und entschieden worden. Und hat 4. *Pastor* selbst nicht aufgehöret sein Ampt zu verrichten/ noch *dimittiret* zu seyn begehret;

So ist sowol die beschehene *inhibition* seines Ampts/ als auch die ihm zugefertigte *dimission* von Unkräfften/ und wäre *Pastor* nicht befugt gewesen/ auf solche *attentirte* Hemmung seines Ampts/ oder zugemuhtete *remotion*, entweder seine Ampts-Predigten und *Ministerium* zu lassen/noch auch seine Gemeine zu verlassen.

Anreichende die zweyte Frage/ halten wir auß GOttes Wort dafür: Hat/ wie vermuhtlich/ *Diaconus* gewust/ daß des *Pastoris remotion* streitig/und *à competente judice* noch unerörtert/obgleich er der *Diaconus* in seinem Sinn die *remotion* für rechtmäßig gehalten hätte: So ist er dennoch ohne vorhergangene Gerichtliche Erörterung über die *remotion* des *Pastoris*, nicht befugt gewest/in dessen Stelle sich *surrogiren* zu lassen/sondern hat in ein frembdes Ampt gegriffen.

Wie dann der dritten Frage abzuhelffen/der *qvasi removirte Pastor* wol befugt ist/ die *removenten* für ihren ordentlichen geistlichen/oder/in entstehen derselben/für der Weltlichen Obrigkeit zu beklagen/daß dieselbe/entweder mit Zuziehen etlicher erfahrnen geistlichen/ oder durch Geist- und weltliche Personen aufgetragene *Commission*/ des *removirten Pastoren* Klage in Verhör nehmen/nach befinden derselben erörtern/ oder sich darüber bey unpartheyischen Geistlichen *Collegiis* und *Consistoriis* belehren lassen wolle. Wäre aber selbige Gemeine/ auß welchen man mehrbesagten *Pastorn* zu *removiren tentiret* hätte/keiner höhern Geist- und Weltlichen Obrigkeit unterworffen/auf solchen Fall achten wir für billig daß sich dieselbe

selbe Gemeine mit dem beschwerten *Pastore* in ein *Compromiss* einlasse und / nach schrifftmäßigen Gutachten unverwerfflicher *Theologen* / sich beyderseits bequemen. *Anno 1634.* den 6. *May.*

Dechant. Senior &c.

Superiorum occasione literarum, colloqvio expetito VII. Julii. cum bene facturum me fuisse inter alia diceret Dn. D. si in Misnia agentem feciſſem de remotione ab officio certiorem, causas graves exponebam, tali indicio qvæ meritò interceſſiſſent, meq; proteſtationi adversus Nobiliſ. Senatum, qvam vidiſſet, neceſſariò inhærere teſtabar; præſertim cum Theologis juxta ac JCtis agnoſci injuſtitiam remotionis animadverteret. Poterat fortaſſe commoneſieri vulgatæ juris regulæ: Qvi cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus. Ut nomina facturi, dicente Senecâ, diligenter in patrimonium & vaſa debitoris inqvirimus. Sed qvò minus primæ ſalutationi tædium afferret iſta ſimplicitas, ſatis habui acta, qvorum in literis præcedentibus mentionem feceram, Dn. D. offerre iterum. Qvæ ille ut legeret, ſuâ negabat intereſſe. Sicut ne qvidem ad colloqvium ex illo tempore me invitavit, qvamvis ſignificâſſem non ſemel, de omnibus negotii circumſtantiis, ſi vellet, edoctum à me fideliter iri. Cæterùm ſic ab eo diſceſſi, ut Vocationem meam citra controverſiam legitimam minimè tolli contenderem dejectione per vim factâ, ideo ipſo jure nullâ. Id qvod indicaveram Nobiliſ. Senatui d. 29. Maji. 1681. priusqvam in mentem huic venerat, nedum mihi, de novo hoc Seniore qvem poſtea vocavit his verbis: Wünſchend / daß / im fall E. E. Hochw. Rath auf der intimirten abdication beſtehen / und einen andern in Rectori de facto abgenommenes unſträffe

lich geführtes Lehr-Ampt de facto einsetzen wolte / in der Furcht Gottes möge überleget werden / daß / worin Rector nicht legitimè abgesetzet / da könne keine rechtmäßige vacantz seyn: wo keine Vacantz ist / da könne kein Successor Platz haben / sondern es sey derselbe invasor officii alieni wieder Gottes außdrücklich Verbot: Niemand unter Euch leide als ein Mörder / oder Dieb / oder Vbelthäter / oder der in ein frembd Ampt greiffet. 1. Pet. IV. 15. I. Thess. IV. 11. ex sententiâ DD. Theologorum Wittebergensium, Part. III. Consil. fol. 195. aliorumq; qvam latè refert Dedekindus Sect. V. de dimissione Ministrorum Verbi, ac nervosè apud hunc exprimit gravissimus Theologus Rostochiensis Paulus Tarnovius, his iisdem verbis: *Q. An in locum injustè remoti vocatus possit vocationem oblatam bonâ conscientiâ amplecti? Resp. negamus. Fundamenta nostræ sententiæ afferimus hæc duo.* Prius: *Omnis invasio loci alteri divinitus mandati, qvem ipse adhuc potest ac vult tueri, est illicita. Omnis acceptatio vocationis factæ in locum injustè remoti, est talis invasio, ut patet. Ergo est illicita. Propositio probatur à genere. Omnis usurpatio alieni officij est interdicta & prohibita, partim directè I. Thess. IV. 11. I. Pet. IV. 15. partim per indirectum & ex opposito, dum unusqvisq; prout vocatus est, ambulare jubetur I. Cor. VII. v. 17. & 20. & confirmatur id ipsum ex praxi laudatâ, qvâ nemini conceditur in alterius parochiâ concionem habere ipso invito, aut qvenqvam ex alterius auditoribus ad cœnam domini admittere: Imò ne Orthodoxo qvidem licet in heterodoxi Ecclesiâ prædicare, etiamsi ipsum opus per se esset necessarium & utile, ut D. Lutherus Tom. V. Jenens. German. in Psal. 82. explic. fol. 76. docet, idq; probat ex I. Pet. V. 3. Ubi auditores sive populus cujusq; Ecclesiæ dicitur κλῆρος, qvod unicuiq; Pastori sua portio & fors certa obtigit. Omnis autem acceptatio Vocationis factæ in locum injustè remoti*

est

est usurpatio officij alieni. Ergo est interdicta & illicita. Posterius: *Communicare qvocunq; modo peccatis alienis est illicitum. Amplecti Vocationem ejusmodi in locum injuste expulsi est communicare peccatis alienis. Qvi enim acqviescit Vocationi, is tacitè adprobat expulsionem Antecessoris injustam. Ergo id est illicitum. Hæc ap. Dedekindum in Thesauro Consil. & Decision. ad qvæ in hac abdicationis caussâ remittor à Venerab. Facultate Theolog. Lipsiensi.* Insuper pridie introductionis ad functionem Scholasticam solemnis, in vim protestationis publicæ, ad Dn. Doctorem misi seqventem Epistolam.

Vir maximè Reverende, Amplissime Excellentissimeq;, Domine Colendissime,

Qvo loco sint res meæ, ex qvo abdicationis decretum in me iniqvum tulerunt DD. Patroni, nunqvam mihi apertiùs innotuit ac heri. Adhuc dubitare potui, an ad ultimum meæ innocentiæ prævaliturum esset inimicorum odium: nunc factum, ne dubio amplius sit locus. Dies introductioni T. E. destinata est crastina, & typi solennitatis prænuncii conspecti in publico. Ideo veniam debes qvód mihi per vim auferri Rectoratum Gymnasii qveror apud T. E. tertiùm: non ut otio abutar tuo, occupati haud dubiè plus satis, sed ut juri mihi qvæsito in hoc officio legitimè caveam, ac præcipue honori meo consulam & famæ. Qvam non remotione dicam, sed malo omni dignus sim, si deseram per ignaviam, & ordinis contemptum mei tuiq;. Nec dubitavi, fateor, qvin judiciorum ad minimum, Celeberrimi hinc Theologorum, hinc JCtorum Collegii, rationem habituri DD. Superiores esent: cum præsertim illorum auctoritati haud possint officere exceptiones tres, ex horum ore qvas T. E. coràm mihi referebat. Qvod docentes hîc loci Gymnasii non haberentur

tur pro personis Ecclesiasticis, eòq; nec jure censeri Clericorum possent: qvod, ad percunctationem unius partis responsum fuisset super actis non plenis: qvod respondentes non essent Patronorum meorum judices. Enimvero primam & postremam inanes esse facilè agnoscebas. Mediam refellere actorum comparatio nullo negotio potest. Et sanctè profiteor, Collegia Academica à me fuisse consulta super actis plenis usq; ad syllabam, ut publicis & genuinis. Nam qvædam partis adversæ, ut sic dixerim, apocrypha, nec probata hucusq;, nec minimo mihi indicio, qvod sæpius qvestus sum, cognita, ideo actorum nomine indigna, nesciri à DD. Consultoribus, nil eqvidem vetuit. Sed hæc talia in præsens non persequor. Saltem qvatenus integritati meæ apud Nobilissi. Senatum haud locum esse, luce meridianâ est clarius, petere, Vir plurimum Reverende, à Te audeo, ne mihi succenseas, qvod introductionem illi novi Rectoris, qvam destinavit in crastinum, nego competere, qvodq; in vim protestationis solennis, has literas ad Te mitto, hoc qvidem super leges & fori consvetudinem L. M. Q. præstans honori Tuo, & Venerationi tui officii, qvod Ministerialem Regni, qvem vocant, cum Nobilibus Testibus huic denunciationi non adhibeo. Hic pono molestum calamum, positurus etiam animam in pace, si vellet vitæ necisq; arbiter DEus! Qvem piis precibus invoco, ut sancto Senioratûs Tui ministerio benedicat Ecclesiæ & Scholæ bono; à Tua verò domo, non dicam, Capite Tuo, persecutionem averruncet, qvâ citra meritum premor; at, custode providente Israelis, haud sanè opprimar!

T. Plur. Reverend. D. officiosiss. Cultor,

Thorunii XX. Julii. 1682.

M. ERNESTUS König/
Thor. Gymn. h. t. Rector.

AD has, sicut & præcedentes literas, responsum à Dn. D. non vidi. Qvi tamen sub nomine Rectoris auspicatus est operas Scholasticas, d. XXI. Julij, qvàm auspicatò & qvà commutatione rerum Th. Gymnasii, ac spe reductionis statûs pristini, jamdiu est, qvod sciunt pleriq; omnes, optimi qviq; ingemiscunt. Id ego certum habeo, ex prælectionibus Theologicis, qvibus adhuc solis occupatur Dn. Doctor, minus oportere proficere juventutem, qvàm pro opinione de illo axiomate: nonnullos etiam mirari, qvod ne vocabuli qvidem significationem, saltem ut impropria & abusiva est, intra annum absolvit, ad finem hujus Mensis Julii, circa initium §. DECIMI *Theologiæ Positivæ B. Dn. D. Joh. Frid.* Königs/ hærens; neq; per dictata perpetua, folia qvæ hujus sunt mensuræ, plura implens qvam sunt Musæ; præterea nec disputationum aut declamationum Exercitiis auctoribus suis nec classium inferiorum directione ac emendatione pueris aut horum Præceptoribus cognitus. Qvod sicut non (a) est bene mereri de juventute Scholastica; sic providendum utiq; D. Doctori erat, ne publicis commodis, neve juri alterius prævaleret cupido & ignorati tituli, & reginæ pecuniæ.

(a) *Credo Doctori fido, & Eruditionis ac Eloqventiæ præclaro inprimis, qvi in Programmate publico supremis honoribus CL. Viri, mei qvondam primum Præceptoris in Regio Gymnasio, deinde ibidem Collegæ, nunqvàm sine gratâ recordatione & laude mihi nominandi, dicato:* Vacationis, *scribit*, tempora, qvi captant sedulò, & se dedunt inertiæ, aut nescio qvid aliud occupant operis, cum juventæ formandæ præfecti sint: vel qvi obiter saltem hoc agunt, qvod in antiqvissimo negotio habendum erat, illi verò & conscientiæ suæ stigma, & famæ maculam inurunt, DEI vindictam certò tandem experturi, sunt & alii, qvi excitari priùs, ut ille apud Gellium, & multis precibus discentium velut expugnari & vinci volunt, ut agant tandem, qvod muneris est sui. Sunt, qvi venduut

EXhibui Thorunensis persecutionis hactenus acta, hoc est, ad Nobilisſ. Senatum qveſtus, exceptiones, remonſtrationes, proteſtationes, celeberrimorum Theologorum ac JCtorum judicia: adjeci etiam refutationem triplicis meriti, cujus in ipſa demum decreti executione me conſcium facerent. Id & Amplisſ. Patronis ſub initium ſignificaveram, mihi faciendum eſſe, ſi plus malevolorum importunæ flagitationi apud illos liceret, qvam gravisſimi Ordinis æqvitati: & nunc ut facerem, dubitari non poteſt, qvin me cura ſalutis meæ adduxerit, debitumq; qvo conjugi ac ſoboli obſtringor. Eo ventum neceſſitatis eſt, ut aut foris præſidium petere à viris bonis neceſſe habeam, aut meam meorumq; perniciem gratificari injuſtis hoſtibus. Sed nec hi expectare debent fabulæ indecoræ talem cataſtrophen, ut, unde eſſe præſidium oportebat, inde exitium patienter feram: nec illi fortunæ meæ ante intercedent, qvam lætiorem mihi deberi didicerint, tanqvam honorarii arbitri. Ita utiliſsimum mihi, idemq; æqviſsimum, qvæ

labores etiam debitos; qvi temporis fallendi gratiâ nugas agunt; qvi mentem vacuam, ſed libros dictando plenos relinqvunt, & adeo miſerrimam pubem, qvæ hoc voto ſuorum donata acceſsit, ut cultior redeat, & vix per inopiam, annum unũ aut alterum poteſt ſubſiſtere, omni conceptâ ſpe, imò omni in poſterum fortunâ vitæ (qvæ ab annis iſtis teneroribus dependet) truculenter evertunt. Non ſine ingenti animi dolore hæcce ſcribo, ubi per omnes Scholas, Gymnaſia, Academias, hoc malum, vel peſtis potiùs, aut, ſi qvid acerbius dici poteſt, vulgatum eſt. Sed rectius ſe, ut arbitror, beatus noſter compoſuit: tantum credidit felicitati ſuæ, tantum gratiæ Divinæ, tantum bonorum favori detractum iri, qvantum temporis & bonæ operæ diſcentibus ſtudio detraheretur. Dn. Joan. Erneſt. Pfuel / S. Theol. D. Prof. ordinar. & Rector Gymnaſii Regii Stetinenſis in programm. ad exeqvias B. Dn. M. Danielis Schultz. d. XIII. April. M. DC. LXXXI.

qvæ pro mei defensione Nobilisſ. Senatui expoſui, ea à prudentibus intra & extra Prusſiam cognoſci. Adparuerunt, niſi me omnia fallunt, hinc reus ac cliens, qvem accuſationis imbecillitas, & intelligentium confeſſio publica abſolvit: hinc judices & Patroni, qvi, nullo juris ordine, immerentem condemnant, aut patiuntur condemnari. Scio qvam ſit inviſa hæc illis oratio, qveis de miniſtris literatis, perinde ac lixis & calonibus, ſtatuere publicæ fructus poteſtatis eſt. Verum nec illud neſcio, qvod nemini facit injuriam, qvi ſuo jure utitur. Ut nullum eſt dubium, qvin vitæ inter communis flagitia numerandum ſit, cum ſeu ſupplantat alter alterum, ſeu per vim manifeſtam præcipitat: ſic ad communis qvoq; vitæ pertinere jura conſtat, qvæ nunqvam virtuti contraria ſunt, ubi, qvatenus averti non poſſunt injuriæ, damnum ſaltem per eas illatum qvacunq; ratione reparatur aut corrigitur, ſervata æqvalitate & honeſtate. Ut ſane fit, cum læſæ publicè exiſtimationi in publico opponuntur integritatis documentis, qvæ ſic amat lucem, ut improbitas gaudet ſecreto. Illam lectoribus ſi adprobavi, qvod ſpero, fiet, ut nec calumnia & invidia conflagrem, qvi crimine non poſſum. Qvin etiam incolumitatem meam ſtudiorum patronis, bonisq; omnibus in tantum audeo commendare, in qvantum curæ futuram Oppreſſorum Protectori DEO OPT. MAX. confido. Simul à cordatis & æqvis arbitris me reverenter petere non diſſimulem, ut, ſi non indignus omnino videbor, qvi lectæ juventutis ſpei admoverer, primum in Regio, deinde in inclytæ Civitatis Gymnaſio, iſtorum hominum iniqvitatem agnoſcant ac reprimant, qvibus perſvaſione neſcio qvàm abhorrente, minus decorus liberali officio, ob hoc ſolum exiſtimor, qvia minus, qvam vellem, animum meum illiberalem ſunt experti & ſervum. Puto enim decreti non aliam habuiſſe cauſſam Proviſores Pædagogii, non aliam

magis

magis verisimilem fecisse qvosdam nuper Thorunenses, qvam qvia, qvantum juventutis studiosæ profectus diligo promoveoq; tantum injurias deprecor, qvæ honestos meos conatus intercipiunt, & qvatenus evitari non possunt, ad animum revoco & odi. Hoc si tantopere mihi vitio vertendum qvondam à D D. Capitularibus, nuper à D D. Scholarchis, atq; aliis nonnullis erat, doceri ante omnia cupiam, qvi tam malè de genere humano artes liberales meruerunt, ut harum propagatores, in Ecclesiâ, Scholâ, Curiâ, pejus haberi fas sit, qvàm alios vel illiteratissimos negotiorum publicorum gestores, qvàm sacrarum ædium, Xenodochiorum, villarum, molendinorum provisores ac inspectores, qvàm inertissimos qvosq; illorum, qvi per segnitiem & desidiam gulæ duntaxat & ventri vivunt, qvibus maximè solutum, & sine obtrectatore est, si qvod ab injustis superioribus ferre non possint, verbis factisq; ostendant: imò qvam nutriculas & coqvos & eqvisones, qvorum sordidissimas operas grata qvædam dexteritas fidesq; sic dominis & dominabus commendat ut plurimum, ut non Saturnalium tantum licentiam facillimè excuset, sed abruptam qvoq; subinde, contumaciam proterviamq; faciat dissimulari. Non bis sed ter & amplius calamitosi sumus, si, dum functione qvi operosa ac plena tædii tam honestâ & publice privatimq; salubri, ac humanitatis adeo genitrice haud dubia & unicâ minus pleriq; lucramur, qvam Cerdones & salsamentarii, ne existimationi qvidem nostræ favere ac libertati debemus, in qvâ nota studia literarum, in qvâ educata fuisse, in qva ætatem egisse, velut in proprio elemento, omnis retro ævi loqvuntur monumenta nec diffitentur barbari, Trajan. Boccalin. in Lap. Lyd. relat. XXIX. sed propterea qvod annua æra è publico accipimus, tanqvam mendicabula hominum ac vilissima capita, per mansvetudinem

Evan-

Evangelicam, qvidlibet pati à qvolibet, nullo Ecclesiæ, nullo Reip. bono, tantummodo amplificandæ vanorum hominum scenicæ auctoritati. Hanc legem ponentibus rei literariæ, si reverti ad sanitatem nolunt, aut non possunt, (possunt autem, si super hoc argumento vel semel toto anno conscientias suas interrogent intente, audiant intente,) optari fortasse non immerito qveat, ut, qvod juris bonarum artium Professoribus atq; cultoribus statuunt profani homines, eo ipsi utantur cum suis, hoc est, sint contempti, sint oppressi, sint servi. Cæterum ego supremum numen invocare non desino, ut persecutoribus meis ignoscat, causæ meæ propugnatores & fautores bonis omnibus augeat, salvumq; THORUNIO velit Gymnasium, Gymnasio salvos nutritios pios, salvos idoneos ac fideles magistros;

Scribeb. THORUNII, in ædibus D. Socrûs meæ, Matronæ Ornatiss. Elisabethæ Thomasiæ, B. Dn. Gerhardi Thomas, judicii veteris oppidi qvondam Assessoris, relictæ viduæ, XIII. Kal. Augusti M. DC. LXXXIII.

Instrumentum Notarij, ad Lit. O. 3. *

*Nachdem/ auf Erfordern der Königl. Wolverordneten Herrn Capitularn St. Marien Stiffts-Kirchen und Königl. Pædagogii allhier zu Alten Stettin/ ich Subscriptus bey ihnen erschienen/ und dieselbe mir zu verstehen geben; Was massen sie den Sub-Rectorem Pædagogii M. Ernestum König/ zu ihnen zu kommen/ heute den 13. Januarij per Oeconomum, Herrn Ernst Zedenacken/ erbitten lassen/ derselbe aber sichs geweigert/ und also/ laut des Oeconomi gethanen Relation, erkläret: Er hätte Bedencken zu kommen/ sintemahl er die Uhrsach leicht erachten könte/ denn er der Königl. Regierung/ eine Schrifft übergeben/ wie er von denen

Herrn Capitularen tractiret worden / trüge also Bedencken zu kommen / sondern bäte umb Entschuldigung; Als habe / auf wolgemelter Herren Capitularen reqvisition, Herrn M. König / auf seinem Logament, in beysein gedachten Oeconomi ich folgende also lautende Instruction vorgelesen. Herren Capitulares haben nicht ohne Verwunderung vernommen / wie der Herr Sub-Rector König / auf ihr bitten zu ihnen zu kommen sich geweigert / weswegen sie genötiget worden / per personam legalem ihm zu intimiren / was sie mit ihm zu reden vorhabens gewesen.). Er würde sich guter massen zu bescheiden wissen / wie er zu mehrmalen von denen Herrn Capitularen erinnert / auch endlich befehliget worden / vermöge der Statuten / gleich andern seine Arbeit in Auditorio publico zu verrichten / weil Herr D. Fabricius als Primarius Professor, gleich auch die andern / solcher ihrer Schuldigkeit sich nicht verweigert / unangesehen / sie ein Theils über etliche Gassen in Regen und Ungewitter zu gehen hätten / er aber dieses ihr Gebot / nicht ohne sondern despect Ihr. Königl. Mayet. und der Hochlöbl. Königl. Regierung / als ihrer respective allergnädigsten und gebietenden Herrschafft / in welcher Nahmen sie ihrer aufgetragenen Charge vorstünden / unverantwortlicher Weise ausser Augen gesetzet und verachtet. [*Parturiunt montes.* Ingruente brumâ, cum vim frigoris matutini circa horam sextam auditores non sustinerent, per paucas hebdomadas auditorio publico præferebat museum Sub-Rectoris calefactum. Neq; hic audiri lectiones publicas superiores interdixerant: qvod in consessu S. R. Maj. deputatorum Visitatorum Gymnasii evicit.] 2. Daß er ohnlängst einen ex cœtu studiosorum so übel tractiret / daß nicht wenig vornehmer Leute in der Stadt sich sehr darüber alteriret, und ihre Kinder hinführo ins Pædagogium zu thun / billig Bedencken

cken tragen würden/wie denn auch die anwesende Herren Professorn sampt und sonders dieses contra hominem ingenuum verübete factum improbiret. [In cognitione delicti Scholastici, qvod perpetratum adversus Rectorem erat, obloqventi discipulo suo privato, alioqvi bonæ indolis, colaphum impegerat nullo hujus præjudicio, qvi post qvadriennium circiter axioma Doctoris meruit. Nec professores cæteros improbasse factum, docet Protocollum DD. Visitatorum.] 3. Wie Herrn Capitulares bemühet gewesen/ die Sache in Güte aufzugreiffen/ damit der gantze Cœtus, wie bereits ein Anfang gemachet/nicht convellirt würde / sondern vielmehr des Herrn Rectoris, und sein des Sub-Rectoris, eigener Glimpf und Respect beybehalten / hätte er insolenter & satis protervè sich unterstehen dürffen/deren forum und judicium in Zweiffel zu ziehen/vorgebend / das er nicht eigentlich wüste/ob er schuldig vor die Capitularn zu stehen / da ihm doch wissend / das er von ihnen vociret und beruffen worden. [Petierat, ne urgeretur litem contestari, cum libellum accepisent supplicem Provisores contra Sub-Rectorem à discipulo, in qvem ex præscripto legis animadverterat: *Oblocutio Præceptoribus in os facta verberibus plectatur.* Addebat, cum non acqviescerent Provisores, in jurisdictione contentiosa se forum illud non agnoscere, neq; à jure vocandi validam ad hoc consequentiam esse. *Hinc natum remotionis consilium.*] 4. Ob ihm nun zwar dieser sein Unfug zur Gnüge remonstriret/und er seinen unzeitigen Eyfer zu temperiren ermahnet worden/sey er doch dem allen ungeachtet / unbesonnener Weise von seinen Affecten gar so weit transportiret worden/daß er deswegen eine Belehrung von Leipzig eingeholet. [Super merito dicti adolescentis, qvi graviter in Rectorem deliqverat, cum hic nobilem qvendā

in Gymnasium introducturus accederet ad auditorium, Collegæ nomine & mandato consuluerat DD. JCtos.] 5. Und damit er 5to. die Capitularn sovielmehr schimpfen möchte/hätte er solche seinen privatis discipulis so theils junge Leute/ und nicht einmahl membra Pædagogii, vorgelesen. 6. Darauf er der Hochlöbl. Königl. Regierung die Belehrung nebst einer Schrifft übergeben/ welche/nachdem sie vermuhtlich allerhand unzeitige und ungereimte Dinge darin gefunden/ihnen zu communiciren hochgeneigtes Bedencken getragen: Es were ihnen aber per discursum darauß soviel kunt worden/daß wenn sie die Contenta wüsten/ sie unmüglich beyeinander länger bestehen bleiben/und sich mit dem Sub-Rectore ferner würden stellen können. [Quæstus fuerat de importunâ Provisorum ambitione. *Hæc causa remotionis altera.*: hoc minus congruens existimandum, qvod nec viderant scriptum illud, nec ultra rubrum, ut sic dixerim, cognoverant.] 7. So müsten sie 7. erfahren/ daß er tanqvam re bene gesta hin und wieder sich jactirte/ wie er fodersambst abzudancken entschlossen. [Si provisores pergerent sua functione & Sub-Rectoris modestia abuti.] Wann dann auß obgedachten rationibus der Gnüge nach zu erfahren/ daß er das jenige/ was/ im Nahmen Höchstgedachter Ihr. Königl. Mayt. und der hochlöbl. Königl. Regierung/zu beybehaltung der Statutorum Pædagogii, von denen Herrn Capitularn Amptshalber ihm angedeutet/ contumaciter verachtet/ ihnen aber/ als Königl. Ministris obliegen und gebühren wolte/ allermassen darob zu seyn/damit zu foderst hochgedachter Ihrer allergnädigsten und gebietenden Herrschafft respect beybehalten/und dero Verordnung qvoad statuta & negotia Pædagogii, wie auch sonst in allen Gehorsam und gebührlich gelebet werde/von ihm aber dawieder allerdings gehandelt. Zu dem

auch

auch / wie gedacht / er ihnen / als verordneten und gesetzten Capitularn dieses löbl. Stiffts und Königl. Pædagogii, mit Hindansetzung / des / bey Empfahung der Vocation, stipulata manu versprochenen gebührenden Respekts / allerhand Widerwillen / Verunglimpfung und despect, erwiesen / auch noch zum überfluß ihnen / auf freundliche per Oeconomum beschehene Invitation / seinen halsstarrigen und widersetzlichen Übermuht proæreticè noch weiter zu erkennen geben: Als wolten sie / krafft tragenden Ampts / ihm hiemit seinen Dienst resigniret und aufgekündiget haben. Thäten ihm solches hiemit expresse notificiren / und hätte er sich von dato an keines Salarii weiter zu getrösten. Wornach er sich allerdings würde zu richten wissen / und ermahnet würde / sich woll in Acht zu nehmen / so wenig durch Schrifften / als Worten an sie / die Capitularn in genere oder in specie zu vergreiffen. Hierauf Herr *M.* König gebeten / Herren Capitulares zu salutiren / und ihnen zu berichten / daß er das jenige vernommen / was sie ihm anbringen lassen / dabeneben an mir begehret / ihm davon Abschrifft zu ertheilen. Deme ich aber zur Antwort gegeben / daß ich solches nicht in mandatis hätte. Womit wir wieder von ihm geschieden. So geschehen den 14. Jan. des Morgens nach 7. Uhren / Anno 1664.

L. S.

Sigismundus Erlacher / Notarius Publ. Cæsareus in fidem præmisforum subscripsit & obsignavit.

Hanc removendi licentiam damnarunt:

I.

Consistorium Regium, per sequentia mandata:

Von Ihr. Königl. Maytt. zu Schweden / ꝛc. zum Geistlichen Consistorio, wir verordnete General Superintendens, Director und Rähte.

Entbieten denen Wol-Ehrwürdigen/Wol-Edlen / Vesten und Hochgelahrten/denen Herrn Capitularibus der Stiffts-Kirchen zu St. Marien in Alten Stettin/ und Provisoren des Königl. Pædagogii daselbst / sampt und sonders unsern Gruß / und geben ihnen auß dem Beyschluß zu ersehen/ wessen M. Ernestus König / Sub-Rector bey ietzgedachten Pædagogio und Professor Eloqventiæ, sich über dieselbe/ in puncto nulliter & sine justis causis factæ resignationis, beschweret / und was er zu verordnen gebeten. Befehlen demnach im Nahmen Allerhöchstgedachter Ihr. Königl. Maytt. und Krafft habenden Königl. Vollmacht/denen Herrn hiemit/innerhalb 4. Wochen/die durch den Notarium und Zeugen Supplicanten vorgelesene und nicht extradirte gravamina, sampt dero Gegenbericht / anhero ins Königl. Geistliche Consistorium, sub pœna contumaciæ einzubringen. Die Herrn vollenbringen daran/Ihr. Königl. Maytt. gnädigen Willen/und unsere zu verläßige Meinung. Datum Greiffswald unter des Königl. Consistorii Insiegel/ den 21. Januarij, Anno 1664.

L. S.

Von

Ihrer Königlichen Maytt. zu Schweden / ꝛc zum Geistlichen Consistorio, wir verordnete General Superintendens, Director und Räthe.

GEben denen Wol-Ehrwürdigen / Wol-Edlen / Vesten und Hochgelahrten Herrn Capitularibus der Stiffts-Kirchen in Alten Stettin / und Provisorn des Königl. Pædagogii daselbst / auß beyliegender Copey mit mehren zu vernehmen / was M. Ernestus König / Sub-Rector und Eloqventiæ Professor, iztgemelten Pædagogii, abereins wegen eigenthätlicher und wieder rechtlicher Remotion ab officio geklaget / und was er der Restitution halber gesuchet / und zu beschaffen gebeten. Wann dann im Fall es sich berichteter Massen also verhält / denen Herren nicht gebühren wollen / ohne des Königl. Geistl. Consistorii vorgehende Erkäntniß und gnugsame Erkündigung / dergestalt thätlich wie geklaget / mit der Entsetzung zu verfahren. Demnach befehlen wir / im Nahmen Allerhöchstgedachter Ihr. Königl. Mayet. und Krafft habenden Königl. Vollmacht / denenselben hiemit / sie wollen vorgedachten M. Ernestum König hierunter von selbsten klagloß stellen / das an die Alumnos Pædagogii abgelassene Notificatorium aufheben / dieselben zu schuldigen Respect und freqventirung desselben Lectionum anweisen / und gemelten M. König bey seinem officio Sub-Rectoratûs und Professionis Eloqventiæ, biß das ordentlicher Weise super

causis

causis resignationis cognosciret und erkant/geruhiglich verbleiben lassen/ solches auch nicht anders halten/ damit auf fernere geführte Klagen/ in contumaciam anderwertiger Verordnung nicht nötig sey. Die Herren vollbringen daran Ihrer Königlichen Mayet. allergnädigsten Willen/ und unsere zuverläßige Meynung. Gegeben unter des Königlichen Geistlichen Consistorii in Greifswald Insiegel/ den 23. Januarij. Anno. 1664.

L. S.

II.

Illustrissimus Pomeraniæ Gubernator & Regiminis Collegium per *Restitutionem*. Hæc facta est ex officio VI. Junii 1664. propterea qvod Provisores ausi fuerant contra forum consistorii excipere.

Æqvitatem ejus docent literæ Gubernatoris ex Sveciâ seqq.

An die Pommersche Regierung/Stockholm den 14. May. Anno 1664. **Wolgeborner ꝛc.**

WElcher Gestalt die Provisores des daselbstigen Pædagogii den Sub-Rectorem, M. Ernestum König/ aus einer und andern fürgewandten Ursachen/ absq; causæ

causæ cognitione, und ohne der Königl. Regierung Vorwissen / urplötzlich resigniret; Solches ist meinen Hoch- und vielgeehrten Herrn satsam bekand. Als nun die Sache bißdahero ex officio noch nicht untersuchet worden / gleichwol ermeldter Sub-Rector, nebst Uberschickung vieler glaubwürdigen testimonien seines alda geführten unsträflichen Lebens / insonderheit von den HErren Geistlichen daselbst / umb restitutionem in integrum bewegl. anhält: Und ich dann nicht sehe / wie man ihn / ehe er gehöret / und schuldig befunden / condemniren könne. So wollen meine Hoch- und vielgeehrte Herrn belieben / ihm M. König / im Nahmen der Regierung / andeuten zu lassen / daß er nach wie vor seine Profession und Schul-Arbeit so lange abwarte / biß der Provisoren wieder ihn habende beschwerden examiniret werden / und darnach ein rechtmäßiger Spruch darin geschehen könne. Womit ꝛc. ꝛc.

Meiner

C. G. WRANGEL.

III.

S. R. Maj. deputati Visitatores Gymnasii, ex Ordine Prælat. Eqvestri & Civitatum, per *restitutionis facta confirmationem.*

A Bhis enim (erant autem Viri Reverendiss. Magnifici ac Nobilissimi, D. Jo. Cuno von Ovvstin, Prælatus, D. Philipp. Christoph. von Thun, Consiliar. Provincialis, ex ordine eqvestri; D. Lic. Jäger / deputatus Civitatis Stralsundensis, & D. Casparus Meierus Cos. & deputatus Civita-

vitatis Stetinensis,) attentatæ remotionis reddere oretenus, me præsente, rationes jussi DD. Capitulares, cum nihil haberent, præter ea, qvæ leguntur in superiori Instrumento Notarii publ. sic ea confutabam omnia & singula, ut, qvod replicarent, non invenirent, & DD. Visitatores robur in causis allegatis desiderarent. Id qvod testatur Protocollum, qvod sub manu Secretarii habeo, his ipsis verbis: DD. Visitatores vermeinen / daß erwehnte gravamina nicht genugsame Ursachen gewesen zur Resignation. Itaq; secutum fuit decretum, qvod provisionale vocant, in hunc modum:

Demnach die Sache zwischen den Herren Provisoren, und dem Herrn Sub-Rectore Pædagogii, *M.* König / nicht plenè erörtert / sondern aus bewegenden und erheblichen Ursachen / die gebetene decision, biß zu der Hn. Hn. Visitatoren Wiederkunfft suspendiret werden müssen. So lässet man es zuforderst bey der von des Herrn Reichs-Feld Herrn Hochgräfl. Excell. veranlasseten restitution nochmahlen allerdings bewenden / dabeneben aber werden Herrn Provisores hiemit erinnert / daß sie dem Herrn Sub-Rectori sein deservitum immittelst reichen / und seine Arbeit und Respect bey der studierenden Jugend / so viel an ihnen ist / befodern / solte inzwischen die Sache unter ihnen nicht componiret und zu ihrer aller satisfaction amicabiliter hingeleget werden / worzu sie dann Krafft dieses vermahnet seyn sollen / ergehet als dann auf ferners Anhalten / was recht ist. Signatum Alten Stetin / den 13. Septembris Anno 1664.

Jussu Dnn. Visitatorum Ecclesiæ
Marianæ ac Pædagogii Stetinensis
JOACHIMUS Schaukirch /
Visitat. Secretarius subsc.

Vigore

VIgore hujus Decreti, ab iisdem DD. Visitatoribus, cum anno seqvente iterum Stetini congregarentur in negotio visitationis, summisse petii, ut Provisores condemnarentur ad præstandam mihi injustæ remotionis nomine satisfactionem. Cæterum qvoniam ab officio Provisoris dimittebantur, per literas publ. sub dato XIX. Aprilis An. 1665. ipsa dimissio & Capituli abrogatio instar satisfactionis haberi existimabatur. Accedebat, qvod de me qvid sentirent gravissimi D D. Visitatores, in hæc verba testatum fecerãt: Inter Gymnasii Præceptores & Professores viros doctrinâ & virtute eximios, haud postremum locum occupat Vir Doctissimus, Dn. M. Ernestus König/ qvem diligenti factâ inqvisitione deprehendimus doctrinâ præstantem, docendi facultate insignem, nec non vitæ integritate inculpatum.

Hæc reticere, qvæ mea facilitas est, qvàm prodere memoriæ malueram, etsi nullâ verecundiâ istis obstrictus, qvi spartam mihi demandatam tam superbè abrogarent, nec benevolentiæ dexteram ex illo tempore porrigerent. Sed qvod verbis gravissimis monet superius Testimonium; Famam malam levem qvidem ad tollendum, molestam ad ferendum, difficillimam ad deponendum esse: *Ideo magno meo cum dolore experiendo nunc qvoq; disco. Elapsi sunt anni novendecim, ex qvo, cum detrectâssem deforme obseqvium, contumaciæ mox ac animi elati crimine existimationem meam destruere D D. Capitulares tentârunt: & tamen ante hos paucos dies, in illustre Collegium, Thorunio qvidem, itemq; Sedino satis remotum, irrupit, fidemq; invenit vetus malignorum fabula, cum essent, qvi dicerent:* Eruditionem M. Ern. König/ sibi esse bene notam, sed hominem & difficilem & contuma-

cem.: Seine Erudition wäre ihnen gar wol bekant/ Er wäre aber von wunderlichem comportement. *Quod ut Celeberrimi Viri apud H. ex relatione mihi innotuit: sic opinionem de me tam sinistram, ut par est, animo mœsto accipio; sistere non possum, nisi pubicè pro me loqvantur allata in medium hactenus documenta.*: nam volumen actorum omne hic Apologeticus non capit.

FINIS.

IN *Apologetico*, qvi An. currente M. DC. LXXXIII. impressus est Palæo-Sedini, typis Danielis Starkii, Regii Gymnasii Carolini Typographi inscribiturq; *ad bonarum artium Patronos Virosq; doctos*, *PROVOCATIO, à decreto abdicationis Thorunensi*, M. ERNESTI Königs/ *Stargardia Pomerani antehac in Gymnasio Stetinensi Regio Eloqv. Profess. indè Thorunensis Gymnasii ab Anno M. DC. LXVII. Rectoris*, cum suis nobis exhibitis veris ac indubitatis avtographis, sivè Originalibus, *Literas nimirum & Testimonium S. R. M. Sveciæ in Pomerania Vice-Gubernatoris & Consilij Status, Lit. E. pag. 7. & 8. & Lit. F. pag. 1. Testimonium Professorum Pædagogij Stetinensis, Lit. O. pag. 2. & 3. Testimonium Reverendi Ministerij Stetinensis, Lit. O. pag. 4. 5. & 6. Testimonium Reverendorum Verbi Divini Ministrorum*

strorum in Ecclesia Thorunensi Teutonicâ, Confessioni Aug. invar. addictâ, Lit. O. pag. 7. & 8. & Lit. P. pag. 1. & 2. Responsum Nobilis. Facultatis Juridicæ in Universitate Francofurtanâ Lit. P. pag. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. item Lit. Q. pag. 1. & Responsum venerandæ Facultatis Theologicæ in Academiâ Lipsiensi, Lit. Q. pag. 1. 2. 3. & 4. in qvo post verba: **Doch wirdt Er hierinnen bescheidentlich zu verfahren wissen.** Clausula velut extranea, *ne sibi magnum infortunium attrahat*, fuit omissa: *Allegata ex Protocollo Visitationis, in notis ad Instrumentum Sigismundi Ebrlachers*, qvoad sensum, non qvoad verba: *Lit. T. pag. 1. 2. 3. 4. & 5. Mandatum Consistoriale primum, Lit. T. pag. 6. Mandatum Consistoriale alterum, Lit. T. pag. 7. & 8. & Decretum Dominorum Visitatorum provisionale, Lit. V. pag. 2.* habitâ diligenti & accuratâ auscultatione, optimè concordare, nisi, qvod seqventes mendæ typographicæ repertæ, qvas notavimus & hic correximus:

Lit. E. pag. ult. lin. 5. deleatur particula *sicut*. Ead. pag. lin. 7. pro *Ecce* lege *Eccum*. Lit. O. pag 3. lin. 7 *cum omnibus* adde *bonis*. Ead. Lit. pag. 4. lin. 7. pro *conformarent*, lege *conforment*: Ead. pag. lin. 10. dele *erat*. Ead. Lit. pag. 5. lin. 6. dele *sibi*. Ead. pag. lin. 16. pro *perspicuum* lege *Conspicuum*.

Lit. P. pag. 4. lin. ult. pro *t.* lege *4.* item pag. 5. lin. 1. pro *it.* lege *14.* Ead. pag. lin. 16. pro *Strav* lege *Struv.* pag. 6. lin. 5. pro *Strav* lege *Struv.* pag. 7. lin. 23. pro *4.* lege *dict.* Ead. pag. lin. ult. pro *Class.* lege *Caus.* pag. 8. lin. 3. pro *vit* lege *vi.* Ead. pag. lin. 22. post verbum reden adde auf die Unter-Obrigkeit: & Lit. T. pag. 4. lin. 21. pro zuerfahren / lege zuersehen

testamur Nos

Actum Veter. Sedin. d. 3. Aug. Ao. 1683.

L. S.

CHRISTOPHERUS FRIDERICUS ERLACHER, Archi-Dicasterij Regij Advocatus, nec non in summo Tribunali Regio Wismarienſi immatriculatus ad hunc actum ſpecialiter rogatus Notarius Caſareus Publicus, in fidem ſigneto legali & Manu meâ &c.

L. S.

MARTINUS FRIDERICUS CALBIG, Archi-Dicasterij Regij in Pomerania Citeriori Advocatus, ibiq;, ut & in ſummo Tribunali Regio Wismanenſi immatriculatus ad hoc ſpecialiter rogatus Publicus Caſareus Notarius, in fidem Signetô legali & M. meâ &c.

L. S.

PETRUS WOLDER, S. Imper. Author. Not. Publ. mpp.